D. CHRISTIANI LUDOVICI
MOEGLINGII,

MED. PROF. ORD. CONS. ET ARCHIATR. SERENISS. MARCH.
BADO-DURLAC. ACAD. REG. LUGD. ET INST.
SCIENT. BONON. MEMBRI,

TRACTATUS PATHOLOGICO-PRACTICUS
EXHIBENS
I.
FEBRES CONTINUAS,
ET
II.
FEBRES INTERMITTENTES.




TUBINGÆ,
LITERIS BAUHOFII ET FRANCKII.
1758.



PROOEMIUM.

OPus plane momentoſum atque arduum inſimul aggreditur, quisquis PATHOLOGICO-PRACTICAM TRACTATIONEM de FEBRIBUS, poſt tot tantosque edecumatæ eruditionis, ſubacti judicii, & conſum-

matæ experientiæ Medicos tradere cupit. Sollicitæ jam eventuum hisce in morbis per plures annos institutæ annotationes inter alia lucem nobis in ardua hac affuderunt materia. Tractationis vero hujus non plane nos pœnitebit, si quædam saltem in veritatis indagine vestigia rite posuerimus. Ita vale, Benevole Lector! nostrisque porro fave conatibus.



De



DE
FEBRIBUS CONTINUIS.

*** *** ***



Ot inter, tamque diverſos morbos, microcosmum afficientes, febris frequentiſſima, & aliis affectibus præternaturalibus conjuncta, obſervatur; Etenim in morbis validis inflammatoriis, febrim ſemper adeſſe, nemo dubitat. *Ill.* Dn. van SUIETEN *Comment. in Bœrhav. aph. de cognoſ. & cur. morb. T. 11.* Interim inficias eundum non eſt, nomen febris nimium extendi, & morbis adſcribi, quibus reipſa tamen competere nequit. Sunt, qui febrim ut conatum naturæ, moleſtam ſibi infeſtamque rem excuſſuræ, conſiderant: Monit. & præcept. medic. *Cel.* MEAD. *p. 10.*

 cap.

cap. de febribus. Cel. HUXHAM, Eſſay ſur les differentes eſpeces de Fievres. Sunt vero alii, qui febrim potius ut morbum, ut turbatam ſanguinis mixtionem, ad microcosmi interitum tendentem, reſpiciunt.

Quidquid autem ſit, experientia tamen edocet, naturam per commotiones febriles ſæpius mala removere, ſic, ut non ſemel aliorum quoque Medicorum obſervationes in eo confirmatas deprehenderimus, quod febres potiſſimum leviores & mitiores, corpori utiles exſtiterint, & robuſtiorem ſanitatis ſtatum, in primis in juventute, reliquerint; conf. *Cl.* BOEMERI *Diſſert. de febri remedio.* Id quod & de febribus, aliis morbis accedentibus, obſervatur. Etenim teſte Hippocrate, *aphoriſm. p. 5.* CHARTER. *Tom. IX. p. 169.* a convulſione, ſi febris prehenderit, ceſſat eo die, aut poſtero, aut etiam tertio; Mulieri pariter ex partu, convulſione affectæ, febrim ſupervenire, bonum. HIPP. *de locis in homine. cap. 13.* CHARTER. *Tom. 6. pag. 372.* Tetanum quoque & convulſiones febris ſuperveniens ſolvit. Tandem derepente obmuteſcens ebrius, convulſus moritur, niſi eum febris corripuerit, aut qua hora crapula ſolvitur, vocem edat. HIPP. *de morbis. L. I. cap. 7.* CHARTER. *Tom. 7. pag. 558.* Febris ſæpe præcordiorum dolores, ſi ſine inflammatione ſint, finit, & in jecinoris dolore ſuccurrit, & ner-

vorum

vorum diſtentionem rigoremque, ſi poſtea cœpit, tollit, & rel. de GORTER. Annotandum tamen eſt, non omnem febrim, motusque febriles univerſos eſſe ejusmodi naturæ ſibi proſpicientis molimina.

Ii, qui limina ſolum medicinæ ſalutarunt, abunde ſciunt, quod ſatis copioſa ſit febrium familia. Primaria jam diviſio generalior eſt in continuam ac intermittentem: Continuarum ſimpliciſſima & omnium leviſſima, eaque benigna Ephemera, brevi temporis ſpatio, vel intra viginti quatuor horas, ut plurimum larga perſpiratione, plenarie terminatur; Extraordinario tamen & maligno peſtilentiali modo interdum Ephemeram ſeſe diſtinguere Caj. Britannus de Ephemera Britannica cum deſcriptione febris ſudatoriæ, quæ eo tempore in Europa ſæviit, A. 1556. annotavit. Hæc ſcilicet ingentem hominum in Anglia copiam e medio ſuſtulit, ſymptomaticus enim hic ſudor fuit, uti pariſinus ille ante plures annos notus. Πυρετος συνεχης, febris continua, quæ ratione temporis nullam notabilem admittit remiſſionem, licet ratione intenſionis variare poſſit: Συνοχος, dicitur continuæ ſpecies, nullis diſtincta acceſſionibus, vel reduplicationibus. Hæc cum ſit ratione temporis continua, ſimul etiam homotonos eſt, quæ in eadem intenſione, longiore temporis tractu permanet. Hinc πυρετοι συνεχεις con-

continuæ remittentes, συνοχοι autem continentes, quia nulla in his fervoris remiſſio: Suntque duplices, vel primariæ, ut cauſus &c. vel ſecundariæ ſeu ſymptomaticæ, quæ v. gr. ex vulneribus producuntur. Epacmaſtica, ſenſim invaleſcens; Anabatica, ad aſcenſum vergens; Paracmaſtica, cujus remiſſus eſt vigor, hinc πυρετος παρακμαστικος, febris ex ſummo ſuo vigore remittens.

Proprie autem ſic dicta maligna febris, quæ a contagio ortum ducit, differt ab aliis, v. gr. Synocho putrida, febre ardente bilioſa, inflammatoria, quæ ventriculi vel inteſtinorum inflammationem junctam habent, periculo. Ita tertiana continua eadem fere habet ſymptomata; Cauſus igitur in eo ab hac differt, quod in tertiana continua notabilis obſervetur exacerbatio tertio in primis die, in cauſo vero quotidie illa adſit. Differt ab Epiala febre, etenim GALENUS L. II. de Febribus dixit, illam proprie vocari, quando ſimul febricitant, (notandum quod GALENUS febris eſſentiam calorem eſſe voluerit,) & rigent, & utrumque eodem ſentiunt tempore in quavis corporis parte. Atque idem videtur & obtinuiſſe in illis febribus, quæ horridæ dicebantur HIPPOCRATI: Quippe GALENUS annotat, non vocari hoc nomine illas febres, in quarum initio horror obſervatur, ſed tales, in quibus per plurimam acceſſionis totius partem hor-

horroris ſymptoma extenditur ; additque horridas febres tunc dici, quando brevibus tantum intervallis ab invicem illi diſtinguuntur motus horrifici. Si vero majoribus intervallis redeant horrores, tunc vocatur reduplicatio, quæ potiſſimum in hæmitritæis febribus obſervatur. Tritæophyæ jam febres non habent inmiſſionem ; tales dicuntur, quæ tertio quoque die exacerbantur, ſed ſine rigore, aut horrore periodico, qualis obſervatur in hæmitritæis, tritæophyæ enim nullas habent periodos, & ſi habent, incertæ ſunt. Graviſſima & terrifica ſunt ſymptomata, quæ hæmitritæas comitantur ; Raræ ſunt hujusmodi febres extra Italiam, ut docet BALLONIUS *in Epid. fol. 138.* teſte tamen BAGLIVO *Prax. Med. cap. de febr. malign.* in urbe Roma non ita raræ ſunt. Differt à febribus ſudatoriis, in quibus ægri ſub deliquiis interdum frequentibus, profuſiſſime ſudant, ſudoribus nihil proficientibus. Differunt denique ægri proprie ſic dictis febribus malignis decumbentes ab iis, qui Cardiaci nuncupantur ; Etenim teſte *Cel.* HEBENSTREIT *in Tentam. Philol. Medic. ſuper ætii amideni ſynopſ. Med. Vet. L. 8.* Cognoſcemus, ait, eos, qui cardiaci dicuntur, quum acuta febri, & maxime æſtuoſa, affliguntur,

hoc modo: Pulſum ſi invenero denſum & obſcurum, & extremarum partium frigiditatem, ſudores circa faciem & ad pectus usque glutinoſos & nitorem cutis ablatum & terreſtrem redditum, & pulſus circa ipſum cor vehementiores & magnos, & ad hæc accedant deſperatio, angor animi & corporis jactatio. Hoc modo affectum, cardiacum eſſe dico. Os vero ventris primum eſt, quod in ipſis afficitur, per conſenſum vehementer oblædens cor ipſum, propter vicinitatem. Porro veteres os ventris, cordis appellatione, cardian vocarunt, ab acceſſionibus nimirum, quæ ex eo accidunt & inferuntur.

Febres continuæ periodicæ ut plurimum ſunt tertianæ, eæque frequentiores, in quibus nempe ſine intermiſſione febris pergit, ut ſubinde exacerbetur, & ab iſta exacerbatione denuo remittat. Continuæ vero quotidianæ raro ſunt acutæ, quia fere ſub cenſum continuarum, ſed revera lentarum veniunt. In eo autem continua quotidiana a quartana ſeſe diſtinguit, quod in continua quotidiana frigus cum calore & languore, pulſu celeri ac debili, deliquiis, in appetentia, & ſudore adſint

colli-

colliquativo, & quotidie ſic paroxyſmus accedat, in quartana continua vero horripilationes & pandiculationes primo paroxyſmi die accedant, aucto calore & pulſu, reliquis duobus diebus calor ſolum naturali intenſior, & pulſus auctus, ſomnus vero inquietus, appetitus dejectus, & vires imminutæ, urina rubicunda cum ſedimento roſeo, quarto die vero aucta ſint ſymptomata, uti primo die. Notabilis eſt complicatio, quam refert PANAROLLUS *Pent. 2. obſ. 33.* Tertianam nempe continuam duplicem cum quartana lethalem. Febris vocatur vel idiopathica ſeu eſſentialis, quæ per ſe ex diſcraſia ſanguinis exoritur, inſimulque morbi peculiaris Schema ſiſtit; Vel ſymptomatica, ſuperveniens alii morbo, vulneri, ulceri, arthritidi, doloribus & rel. Interim re accuratius ponderata nihil ominus quoque ſymptomatica febris morbus exiſtit, quamquam alii ſuperveniat morbo, & alio in ſenſu vox ſymptomatis ſumatur, quam in ſtricta affectuum præternaturalium diviſione. Febris porro ſalutatur vel critica ſeu cum criſi, vel ſine criſi ac ſine ſeparatione, aliis fientibus cum criſi ac ſeparatione, quemadmodum inde teſtari poſſunt Eryſipelas, pleuritis, bubones, podagra & rel. Atque ejusmodi quoque critica

 febris

febris vel benigna vel maligna exiſtit. Interdum tali die, quem criticum vocant, ſubito absque ullo abſceſſu, absque ulla excretione ſenſibili multum remittit febris.

Finita febre, vel ſuperſtes eſt æger, vel non: Si ſuperſtes fuerit, tunc vel rediit actionum vitalium, naturalium, & animalium omnium integritas, id eſt, perfecta ſanitas, vel aliqua in his læſio manet poſt febrim finitam, tuncque eſt morbus, adeoque in tali caſu merito dicitur, febrim in alium morbum deſinere. *Ill.* Dn. van SWIETEN *Comment. in aph. Bœrh. Cap. de febribus.* In eo jam febres intermittentes diſcrepare ſolent à continuis, quod in prioribus non in una ſerie, ſed per vices & ſucceſſive maſſæ ſanguineæ mixtura una cum circulo turbetur, in poſterioribus vero præter turbationem maſſæ ſanguineæ progreſſivus inſuper motus, nec non inteſtinus peccet, & irregularis conſtanter perduret, id vero inſimul reticendum non eſt, ſermone nobis eſſe de ſummo gradu, etenim ſedula febrium obſervatione edocti fuimus, in variis ægris intermittentibus laborantibus, vitioſum illum inteſtinum ſanguinis motum, finito quoque paroxyſmo,

mo, nihilominus perdurare, hac ſaltem cum diſtinctione, quod turbæ illæ non adeo magnæ exiſtant, ſic ut ad ſenſum ſedatæ videantur, ex altera quoque parte monendum, in continuis febribus circulationis leges non in uno continuo ſemper peccare, quamquam irregularis conſtanter inteſtinus illo tempore exiſtat motus; Etenim ſi rem paulo accuratius conſiderare velimus, motu inteſtino hoc irregulari exiſtente, progreſſivus ille motus regularis eſſe poteſt, quamquam celerior exiſtat, & ab ordinario, qui in ſano homine obſervatur, deflectat rhythmo.

Jam in noſtris Tentaminibus Semioticæ, Part. III. annotavimus, quod febris continua ab intermittente in prima commotione non omni tempore tam facile diſtingui queat; Etenim fere communia habet Phœnomena, quamquam in progreſſu morbi variis circumſtantiis, & ipſa continuitate decurſus caracterem exhibeat diſtinctivum, in continuis autem non tamdiu durat, nec tam vehemens horror eſt, ſenſus frigoris, & rigor, quam in intermittentibus, calor quoque ceu individuus comes modo dicta inſequens, hic quoque diverſimode ſeſe monſtrat, etenim interdum

moderatus, ſæpe vero per aliquod tempus ſubdolo modo benignus, & tamen ex improviſo maligne caracterem ſuum immutat, & gravia producit ſymptomata, interdum ſtatim ab initio manifeſtus, non occultus, pro ratione autem febris, & reliquarum circumſtantiarum individualium etiam gradus intemperiei ſeu caloris variat.

Turgeſcens orgasmo febrili ſanguis cor obruit, ac diſtendit, ſtimulatque ad frequentes contractiones; inde celer & plenus exoritur pulſus. Pulſus magnus & validus in genere laudabile eſt ſignum in febribus, at dantur febres ſubdolæ, ubi cum pulſu magno moriuntur ægri, licet HIPPOCRATES contrarium ſtatuat; neque tamen ab initio ſemper vehementia cum plenitudine pulſus adeſt, ſed frequenter debilis exiſtit, pulſus autem debilitatem in principio febrium raro à ſpirituum animalium defectu, plerumque ab eorundem ſuppreſſione oriri EDUARD STROTHER ſtatuit: Hiſce porro in febribus, urina nunc tincta, nunc magis pallida, vel turbanda facile usque ad coctæ materiæ febrilis ſeparationem apparet; Illa autem urina quæ non lixivioſa, rutilans, ſaturatior,

tior, potius vero naturali ſimilis exiſtit, peſſima eſt, quæ malignitatem indicat. Urinæ pariter coctionis ſigna præbenti, cum ſedimento laudabili in quibusdam ſubdolis ſpeciebus non fidendum eſſe, experientia monet. Dolor capitis ut plurimum ſummo in gradu adeſt, ſitis porro urget, dejectus eſt appetitus, tanto autem in gradu ſeſe conjungit delirium, ut ſitim non ſentiat, & cum ſuperficies corporis ad attactum frigida exiſtat, æger de æſtu tamen urente interno nihilominus conqueratur, & tunc maximus caloris exiſtit gradus, qui ſatis ancipitem declarat morbum.

Pro conditione porro temporis & morbi, vel nullum udoris adeſt indicium, vel tantum circa momentoſos dies criticos magis vel minus ſenſibilis ille fit, & agrypnia ſeſe cum extraordinaria conjungit laſſitudine, hæc tamen in continuis benignis non ita obſervantur: Ex annotationibus enim medicorum æque ac ex praxi clinica edocemur, non omnes continuas nequitiam alere, potius vero ſine ſymptomatibus hiſce non raro in ſalutem ægri terminari. HIPP. L. de judicationibus, ſudores, ait, optimi ſunt, & citiſſime febrim ſedant, qui judicatoriis contingunt diebus

diebus, & febrim prorſus ſubmovent, boni quoque ſunt, qui per totum corpus oborientes, faciliorem morbi reddunt tolerantiam: Urina autem optima eſt, quæ per totum tempus, quoad judicatus fuerit morbus, albiſſimum, læve, æquale habet ſedimentum, ſecurum enim & brevem fore morbum, indicat. Si ſuborto ſudore morbus ceſſet, & urina fulva ſedimentum habens album, conſpiciatur, iis eodem die febris reverſio fit, & hæc quinto die citra periculum judicatur. Si jam in continuis quotidie rigores incidunt, ipſarum quoque eſt diuturna diſceſſio. Prudentiſſime monuerunt veteres medici, parvos tantum morbos ſolvi, magnos vero judicari, id eſt ſenſibilibus excretionibus tolli, *Ill.* Dn. van SWIETEN *Comment. ſect. 594.* De temporibus febrium propriis *Cl.* HEBENSTREIT in peculiari Programmate egit. 1748.

In malignis ab initio pulſum obſervari parvum, in ſynochis magnum & citatiorem quidam tradunt medici: Annotandum jam celeritatem pulſus non præciſe ſignum pathognomonicum febrium continuarum conſtituere, cum interdum malignæ obſerventur febres ſine tali pulſus celeritate decurrentes. Pulſus quoque

quoque intermittens à multis pro pessimo in febribus habetur signo, at eo tempore, quo debilitas virium ac diriorum symptomatum gravitas abest, cum eo aliquando convalescunt ægri. Febres continuas putridas breviores, cum urinæ suppressione, febres continuas putridas, cum cephalalgia, corporis consumptione, pilorum defluvio, auditus difficultate, defluxione; Et febrim ardentem causum cum cephalalgia, delirio, catarrho, & tussi; Ephemeram cum tumore glandularum colli interdum incedere, PLATERUS annotavit Observation. *L. 2. de Febribus.* Febrim Epidemicam dimidiam fere partem incolarum Novæ Angliæ affligentem cum tumore, dolore, maculis albis in faucibus & in tota cute purpura, præter consueta symptomata febrilia, DOUGLAS *in Act. Edinb. 1. IV.* descripsit. Febrim malignam rariorem Historia morborum Vratislav. A. 1699. 1700. 1701. & 1702. Febrim vero Epidemiam continuam, sed remittentem *Cl.* MOERING. *Commerc. Liter. Noric.* tradiderunt. PETRUS *le* CERF *in Tractatu de Febri Gallica* malignam, à bello tum temporis durante, & hac occasione Gallicam nominatam, annotavit, febrim in genere motui lymphæ, sanguinis, & spirituum præ-

ternaturali actiones lædenti, effervescentiæ h. l. alcali Gallorum cum acido sanguinis Germanici adscripsit: Quo autem cum fundamento hoc statui queat, vix perspicere possumus.

Epilepsiam in febrim acutam desinentem, eamque lethalem, HENR. HOTTINGERUS *in Eph. N. C. Dec. 3. A. 8.* & febrim lethargicam in strabismum utriusque oculi transeuntem JOH. ALBRECHTI, annotarunt: Alius Medicus post febrim malignam die vigesimo morbi dolorem, inde tumorem magnum in sinistro brachio apparentem, observavit, quo suppurato, ac curato, æger perfecte convaluit, & quod notabile fuit, sanies, quæ prima ex abscessu prodiit, atra fuit, fuliginis colore. Lanzonus pariter febrim acutam malignam, pessimis symptomatibus stipatam annotavit, in qua post 20. diem dentes, unus post alium sponte, capilli etiam intra triduum à cute separati pariter, deciderunt, *Eph. N. C. D. 3.* Febrim malignam summe periculosam, ast feliciter curatam, in qua το Θειον HIPPOCRATIS emicuit, GENSELIUS refert. conf. *Cel.* RICHTERI *Diss. de Divino Hippocratis.* EL. CAMERARIUS *Epist. Taurin. Diss. 11.* occasione

casione febrium castrensium Tubingæ quondam illatarum, ac per aliquot annos sub diverso Schemate sævientium earundem syndromen symptomatum, difficiles ac periculosas terminationes, anomalias insignes, & vermium connubium, nunc causæ, nunc effectus quasi rationem habentium, descripsit. Morbi pariter Epidemici ex vermibus Historiam tradunt journeaux des sçavants A. 1722. Metastasin febris malignæ in omnimodam cœcitatem, quæ crebris insultibus convulsivis epilepticis, quibus denique ægra fœmina succubuit, tentata fuit, HELLWIG; Et LENTILIUS febrim malignam crebra metastasi in erysipelas terminatam fuisse *Eph. N. C. D. 3.* observarunt, & *Cel.* JUCH casum exhibet *in Diss. de singulari memoriæ imbecillitate ex febre maligna. vid. p. 53.*

Character jam distinctivus aliarum malignarum in eo potissimum consistit, quod in illis subito vitales destruantur actiones cum adeo notabili agrypnia, ut ægri in lecto erecti sine syncope esse nequeant, pro conditione jam febris & subjecti vigilia variant, ut & oppressiones pectoris, quæ in febribus pnevmonicis potissimum sese monstrant, in quibus acuta continua

semper adest febris, uti in pleuritide vera sæpius initium illius valde occultum esse solet, usque dum lateris dolor, cum tussi, difficili respiratione, sanguinis, posteaque puris sputo, & sæpe maligna febri sese declaret. Eo in casu, quo acuta febris à tempore cruditatis, ad illud coctionis ascendit, diversa intercurrere solent, pro morbi gravitate, vel levitate, pro anni temporis, prægressorum, constitutionis individualis, indolis morbi, conditione, & varietate, modo sine, modo cum deliquiis incedit, hisque vel per intervalla, vel etiam sine interruptione durantibus, expergefacti post somnum ægri, circa omnia vel quædam saltem delirant objecta, sine vel cum furore, interdum ad phrenitidem ascendente, quibus accedunt systematis nervosi contractiones magis vel minus graviores, quæ modo certis quibusdam in partibus, modo in toto sese exserunt corpore; pro genio autem febris vel in prima statim commotione febrili, vel tempore pepasmi ut plurimum intimæ destructionis massæ sanguineæ & corruptionis incipientis testimonio, petechiæ vel purpurata exanthemata variæ magnitudinis, & diversi coloris accedunt, quibus in casibus febris cum nequitia frequenter conjungitur, potissi-

potiſſimum quando maculæ petechiales fere atramenti ad inſtar nigrescentes, & purpurata livida cum depreſſione adſunt exanthemata, illæ autem petechiæ, quæ cum febribus caſtrenſibus conjunguntur, differunt ab illis, quæ in febribus peſtilentialibus obſervantur. SCRETA *Tract. de febre caſtrenſi:* Quippe ratione malignitatis graviores exiſtunt hæ poſteriores, cum priores integris adhuc viribus, circumſpecta medendi methodo, juxta medicorum obſervationes, felicius curari queant; referri pariter huc debent carbunculi, bubones, parotides, in continuis, peſtilentialibus prodeuntes, morbum modo in melius terminantes, ſi debite ad ſuppurationem tendant, modo in pejus, ſi talis non ſuccedat.

Tandem quoque evacuationes ſanguineæ vel ſeroſæ pro diverſo naturæ robore, & varia morbi indole, proque temporis & individualium determinationum ratione vario ſeſe habent modo. Diſſolutionem ſanguinis febribus putridis à contagio ortis, conjungi, interdum vero effectum eſſe humorum ſcorbuticorum, D. HUXHAM tradit: Has igitur febres primario ſanguinem, lentas autem nervorum nonniſi ſuc-

cum nerveum & lymphaticum afficere, Hodges tradit. Febres nervorum in Britannia A. 1735. magnam ſtragem producentes, diverſo plane modo incipientes, in progreſſu vero & circa ſtatum in eſſentialibus congruentes, *Cl.* GLICHRIST, Medicus in Dumſtries obſervavit. *Act. Edinburg. T. VI.* Malignas porro febres cum lenta circulatione ſpeciem ſudoris ſanguinei ſub axillis referentes, alias vero putridas febres cum magno macularum flavarum & fuſcarum numero, & urina fere nigra ac ſedimento copioſo fuſci coloris, damnum intuliſſe, idem monet; Quemadmodum in peſte ſudorem purpureum & ſanguinis colorem referentem, momentoſum Hodges obſervavit. Denique ſanguinis ex variis corporis partibus ſudorem Transaction. Anglic Nr. 109. tradunt. Obauditionem porro ac ſurditatem in febribus malignis & acutis convaleſcentiam indicare tradunt, niſi mox auditus redeat: Interim teſte experientia modo exoptatum, modo funeſtum produxit eventum, ſic ut nihil cum certitudine concludi queat. In fine autem febris malignæ exanthematicæ ſurditatem non cito evaneſcentem, & per tres quatuorve dies durantem, bonum fuiſſe ſignum, affirmat de NILSROSEN *in Act. Acad. ſcient. Suec. 1744.*

Quid

Quid denique ex ſtrepitu in pectore inter potandum, ex prolapſu ad pedes, ex tendinum in carpis aſſultu, ex floccorum venatu in ſtragulis lecti aut parietibus, ex luctuoſis ſuſpiriis, ex alvi & veſicæ injuſſa ſolutione, ex imperfecte clauſis palpebris, ex obtutu lugubri, ex ſtimulo ad deſidendum, ex reſolutione in fine acutorum concludendum ſit, HIPPOCRATES, GALENUS, FREINDIUS, aliique declararunt, vid. Tentamina noſtra Semiotica *p. 11. p. 26.* HIPPOCRATES pariter *de Acut. vict. rat. Sect. IV.* Quum in febribus, ait, quinto die quid terrificum contigerit, aut alvus derepente liquida dejecerit, & animi defectus inciderit, aut vocis ſuppreſſio prehenderit, aut convulſio, vel ſingultus evenerit, ex his jactari æger conſuevit, & ſudores ſub naſo & circa frontem ac cervicem poſteriore capitis parte ſuboriri, at qui hæc paſtiuntur, ſuſpirioſi non multo poſt intereunt. Quibus vero ſanguis copioſus è naribus fluxerit, morbi ſolutionem portendit, ſin minus, longitudinem, quo vero parcius fluxerit, eo deterius & diuturnum. Si urinæ craſſiores pallidioresque fuerint, meliores, ſi vero tenuiores, nigriores, deteriores, ſi autem mutationes habeant, temporis diuturnitatem indi-

indicant, morbus neceſſario tum ad deterius, tum ad melius commutat inæqualitatem; conf. *Cel* HAMBERGERI *Diſſert. de ſimilitudine ſignorum judicationis & mortis in febribus acutis proxime inſtantis.* Id tamen junioribus practicis nullo non tempore inculcandum eſt, non unum ſolum ſignum ad prædictionem ſufficere, ſed plura combinata demum aliquid indicare poſſe.

Nimis jam generaliter ij rem pertractare videntur, qui benignas à motu concitato p. n. copioſori ſpirituum in cor & omnes corporis muſculos deducere ſolent, quoniam eodem tempore & maſſæ ſanguineæ turbatio excludi non debet, hac cum diſtinctione, quod intimior & major illa exiſtat in malignis, ac quidem in benignis, non unica igitur & univerſalis ſemper in omnibus ſupponi poteſt cauſa, interdum adeſt miaſma quoddam externum excitans, ſeu, ut aliis placet, fermentum, quod perſpirando à corpore effertur, atque maſſæ ſanguinis & humorum, imo ſpiritibus animalibus communicatur, eandem conditionem, eandem mixturæ turbationem excitans, ac pro-ut major ad diſcraſiam talem adeſt prævia diſpoſitio, eo

eo funeſtiores inde ſequentur effectus. Annotandum tamen eſt, cauſam febris adeo ſpiritus, motui animali deſtinatos, afficere, ut conſuetum perficere nequeant officium. Conſtat in omni febre adeſſe ægritudinem, totum igitur ſyſtema nervoſum magis vel minus afficitur, prout cauſa validior eſt vel minor. Interdum in ventriculo & inteſtinis minera quædam latet, ex qua noxiæ partes Maſſæ ſanguinis ſenſim ſenſimque communicari queunt, eaque ſic coinquinari ſolet. Peregrinum jam ætherem ſecundum quosdam mirum in turbanda mixtura ſanguinis effectum exſerere, probari vix poterit, ſi de aëre ſermo eſſet, tum efficaciam illius notabilem facile concedere poſſemus, vid. *Diſſert. noſtra de ſaluberrimo aëris moderate calidi & ſicci in microcoſmum influxu.*

Diverſa vero particularum heterogenearum actio, qua unio elementorum ſanguinis in continuis turbatur febribus, varium quoque producit effectum, etenim ſi vel in copia, vel in qualitate morbifica peccent miasmata, & ad ſanguinem deferantur, graviſſimos producere poſſunt morbos, ut in apice febrium omnium acutarum malignarum pe-

ſte id ipſum conſpicitur, ſi vero vel in quantitate vel in qualitate non tantus fiat exceſſus particularum modo dictarum, tunc mitiores propullulant affectus, modo continuæ benignæ, modo Ephemeræ, modo catarrhales, ut jam altera ex parte de epidemiis febribus malignis, diverſimode graſſantibus, nihil dicamus. Atque ſic ejusmodi inteſtinus ſanguinis & maſſæ humorum motus diverſimode ſeſe habet, inſimul fluidæ & ſolidæ partes in eccentrico motu magis vel minus pro cauſæ gravitate ſunt conſtitutæ. Dantur conditiones fluidarum partium præternaturales, quæ, cum cauſa non tam gravis exiſtat, non adeo pertimeſcendæ ſunt, quæque robore naturæ, debitoque adhibito regimine compeſci queunt.

Ubi autem unio elementorum ſanguinis turbatur, acriores & ſulphureæ particulæ ſanguini communicantur, ebullitiones fortiores vel adaucto vel imminuto ſpirituum animalium elatere oriuntur, tandem ad corruptionem ſeu ſeceſſum elementorum ſanguinem conſtituentium ſternitur via, eo potiſſimum in caſu, quo bilioſarum & ſalinarum partium in ſanguine exiſtit copia, imminuto laudabili

liquore

liquore illo diaphano lymphatico, exinde fluida lentorem contrahunt, atque hinc inde ſubſiſtunt, ſic ut exanthemata tandem magis vel minus graviora prodeant, v. gr. petechiæ, & in peſte bubones, ſi tenuitas ſit, velexceſſus ſalinarum partium, carbunculi ſubſiſtente tunc ſanguine, vel ad ſuperficiem corporis propulſa in ſalutem ægri materia exitiali, & liberatis partibus interioribus nobilibus, vel infauſto omine retrocedente tali intra corpus, & ad nobiliores partes determinata, vel ſummum gradum corruptionis putredinoſæ mortificationem excitando.

Ex quibus patet, pro diverſo virium vitæ gradu, vel in bonum, vel in malum tales terminari morbos, concurrere autem præter ægri & morbi conditionem, externas determinationes à ſubtiliſſimis non determinandis in athmoſphæra contentis partibus noxiis. Febrim ardentem à contagio erucarum in juvene ortam LEIDELIUS, & nebulam ſingularem febris malignæ lethalis cauſam fuiſſe HOYERUS, annotarunt. Ex rebus denique præternaturalibus diſponunt v. gr. ulcera, pus, ſcabies tam ſicca quam putrida, intempeſtive repulſa; Eryſipelas repulſum ab externis partibus ad

 inter-

internas; Calculi quoque, vermes, venena assumta &c. symbolum ad acutas malignas conferunt febres. Clinica jam edocet praxis distinctionem illam continuarum febrium in magis vel minus acutas non adeo genuinam esse, quippe eas acutas, in quibus quarto die plenaria crisis & terminatio in salutem oritur, acutissimas salutant, genius autem probe observandus est, quippe celerem intra quatuor morbi dies judicationem non unice ad febrim acutissimam referri posse ex eo credimus, quod & febres, quæ intra 24. horas decursum absolvunt, nec non acutæ sanguineæ & continuæ malignitate carentes, intra paucos dies ad salutarem perductæ finem, eodem forsan jure possent acutissimæ vocari; Ad minimum de Ephemera pestilentiali Britannica magis hoc dici posset; Hujusmodi in casibus gradus major & nequitia febris cum debili pulsu considerari debent.

Illæ jam febres, in quibus crisis septimo die vel per sudorem, vel per alias eruptiones contingit, ad magis acutas, illæ vero, quæ non nisi decimo quarto judicantur die ad minus acutas communiter referuntur. Non raro edocti sumus, in morbis malignis in

prima

prima commotione non ſtatim detegi & determinari poſſe, an ad acutiſſimos, ad magis vel minus acutos referri debeant, vel queant, quoniam ob diverſitatem cauſarum, ſubjectorum, & ob variam conſtitutionem unus idemque morbus diverſos edit effectus; Hiſce enim in morbis per aliquot dies malignitas latere, & ex improviſo ſævitiam poſtea exſerere poteſt, præparationem tum materiæ morbificæ, nec non intemperiei ſublationem, & ſalutarem heterogenearum partium è ſanguinis textura excretionem natura intendit, licet ſtata hic non ſemper obſerventur tempora. Cum exempla quotidiana monſtrent, optima etiam ſigna nihilominus fallere, ita & nequitia diebus judicationis, vel ante hos quoque accedens ex improviſo non raro ægrum jugulat: Hiſce igitur in caſibus continuo memores eſſe debemus moniti HIPPOCRATICI, quod nempe acutorum morborum non omnino certæ ſint prædictiones neque mortis, neque ſalutis. *Aph. 19. Sect. 2.* CHARTER. *T. IX. p. 59.*

Quod autem morbi concernit finem, eo nimirum tempore, quo per evacuationes criticas in melius vergit, calore urente, & in uno continuo per

morbi decurſum durante, jam imminuto, notabiliter morbi variant ſymptomata, tuncque graviter ſævientia mitiora fieri incipiunt, & una cum appetitu, diverſa ſimul incolumitatis apparent ſigna. Quodſi autem vires vitæ ſuperentur à materia morbifica, agrypnia in dies magis magisque accedit, modo turbatur mens, modo ab omni turbatione libera exiſtit, modo prior redit turbatio, intercurrentibus variis nervorum conſtrictionibus, quæ ad ſummum gradum nonnunquam aſcendunt, ſcil. ad convulſiones, internis urentibus, externis vero algentibus, una cum variis ſignis, quæ alias vitæ finem antecedere ſolent. Variæ jam non raro exiſtunt cauſæ, quæ plenariam materiæ morbificæ eliminationem in febribus acutis vel inflammationibus impediunt, exinde recidivæ in acutis producuntur. Hinc & HIPPOCRATES *Epid. L. 4. §. 29.* quæ relinquuntur poſt judicationes, recidivas adferre ſolent, & quæ in ipſis morbis excernuntur, ut ſputum præmaturum. Scrutinium vero recidivarum prolixius inſtitutum fuit in noſtris Tentam. Semioticæ P. IV.

Carum denique frequenter febrium acceſſionibus ſupervenire Antiquiores Medici plurimi tradunt, inprimis GALENUS *comment.* & PAUL. ÆGINETA *L. de re medica;* Tam acutis febribus, quam Chronicis, quotidianis, ſemitertianis, quartanis, vel ſemel, graviſſimo cum periculo, vel iterum iterumque per periodos contingere, docet MANGET. *Bibliothec. Pract. T. I.* & *Cel.* COHAUSEN *in Archæo febrium fabro*, ſoporoſarum & apoplecticarum paſſionum mentionem facit.

Quod nunc cauſarum attinet ſcrutinium, primo ſtatim annotandum eſt loco, quod diverſa anni tempora, varia athmoſphæræ conſtitutio, ventorum major vel minor vehementia, incauta & repentina corporis ex frigido ac humido in calidum, & viceverſa, mutatio, imo &, ſi non epidemica graſſatio, tamen interdum contagioſa infectio ſymbolum conferant, quæ fuſius diducta ſunt in Diſſert. noſtra de peſte habita. Raras quoque & diverſas inſimul febrium continuarum cauſas BONETUS *in ſepulcreto diſtincte recenſet Cap. de febribus continuis.* Quid quod præter hæc omnia reliquæ res non naturales concurrere poſſunt, & ſo-

& ſolent, imo & ulterius fortiora & frequentiora evacuantia, quibus cum inutilibus utiles eliminantur particulæ, repentinus porro & impræviſus ægri aſpectus & inſequens pavor : Diæta quoque illaudabilis, cibi nimii, dyschymi & dyſpepti, exceſſus porro in vino &c. fomitem in penetralibus corporis diu interdum occultum, in motum ferre, ac impuros humores tenaces, nec non vitia ſolidarum partium producere poſſunt, retenta porro alvi excrementa, & bilem, liquores emeritos è toto corpore ad ventriculum refluos, & ibidem retardatos, HIPPOCRATES *Lib. de flat.* innuit febrium cauſas fieri. Confer. *Cel.* de SAUVAGES *Diſſ. qua de febrium cauſis hypotheſeos examen exhibetur.* Dari jam generationem morborum ex morbis ex diverſis ſpeciminibus v. gr. ex inflammationibus Laryngis, & Pharyngis, febribus catarrhalibus, meſentericis, ac lochialibus apparet.

Non raro abſceſſus in femore, vel dorſo, vel circa anum, interdum in febribus continuis & malignioribus, præcipue ubi affectus capitis & nervorum concurrunt, obſervare licet, quemadmodum abſceſſum inſigniorem in viro quodam quinquagenario

genario ad finem malignioris febris in dorſo, obſervavimus, qui ſub noſtra, & Chirurgi medicatione poſt aliquod tempus feliciter priſtinæ reſtitutus fuit ſanitati. Multi Medici malignitatem in febribus ſibi tanquam venenum concipiunt, cum omnes effectus alias à veneno provenientes adeſſe dicant; Alii hoc prædicatum febris non agnoſcunt, ſed principium in ſolo ſimplici calore acuto ponunt: Interdum quoddam adeſt, quod caracterem malignitatis cum calore efficit. Febres jam à ſtimulo calido excitatæ demum ſine præcedenti frigore adoriuntur; Exinde varietas febrium oritur; Quodſi cauſa ſit valida, excitans frigus, ut plurimum priusquam calor accedit, ægrum necat, ſubactis à gravitate morbi viribus vitæ, uti infra de ægra tertiana laborante dicemus.

Ad proximam quod nunc attinet cauſam, duplicem ea habet conſiderationem, primo quidem quatenus ex infectis in alios venit, & ſecundo, quatenus ex alia quadam cauſa aliunde afficit. Naturæ autem ſalino - ſulphureæ quidam ſibi miasmata in febribus concipiunt. Ex Langriſchs experimentis ſtaticis, cum ſanguine ægrorum acutis continuis

tinuis febribus decumbentium inſtitutis, & cum ſanguine ſanorum comparatis, apparet, quod in ejusmodi febribus ſerum pauciori in copia adſit, & craſſamentum tenacius & viſcidius exiſtat, quam in ſtatu ſanitatis, per experimenta chemica idem Modern Theory and Practice of Phyſik *T. W. Act. Edinburg.* deprehendit, quod in acutis febribus ſalinæ & ſulphureæ partes copioſiores quam in ſtatu ſanitatis adſint, & quod urina magis magisque ſalſis & ſulphureis partibus repleta ſit, quo magis ſymptomata ob criſin per urinam imminuantur. Sunt qui ad ſtatum coagulationis in Chronicis morbis, ad ſtatum vero reſolutionis diſſolutionis plus minus in acutis reſpiciunt: Experientia autem edocet, in febribus malignis regulariter ſanguinem è vena miſſum, floridiorem, fluidiorem apparere.

Ex Chirurgia infuſoria alii demonſtrare volunt, acida ſanguinem figere, alcalia vero diſſolvere, & attenuare, quamquam & hoc quoque annotandum ſit, quod pro differentia gradus diſſolutionis præcipue in prima commotione ab ipſo calore lympha inſpiſſationem pati queat: Etenim ſi ſanguis vena miſſus ad moderatum ponatur calorem, ſerum ad ſpiſſam deducitur conſiſtentiam, & in gelatinoſam

tinoſam coagulatur ſubſtantiam. Ex hoc jam intelligi poteſt ex quonam fundamento contrarium nonnunquam in malignis febribus fieri queat in ſanguine, nimirum ſpiſſitudo & coagulatio. Veteres fundamentum febris eſſentialis in ſanguinea quæſiverunt maſſa, excludentes omnem jam factam cujusdam partis inflammationem, talis jam ſanguis in penetralibus corporis ad viſcus quoddam ſeu quandam partem aliam ſubſiſtens, ſtatim febrem producet inflammatoriam, & hinc inflammatio ſequetur febrem.

Inflammationis naturam ſequentem in motum expreſſit *Illuſtr.* Dn. de HALLER *Opuſcul. Patholog.* In puerpera, inquit, quam cruris eryſipelas extinxiſſe videbatur, primum evidenter, deinde in numeroſis aliis cadaveribus, naturam inflammationis mihi ſum viſus me perſpexiſſe. Inteſtina flatu inſigniter diſtenta, tota inflammata erant, non quod vaſcula ſanguine unice diſtenderentur, ſed quod cruor ſecundum totam longitudinem arbuſcularum vaſculoſarum in celluloſitatem effuſus lineam obſcure rubentem in vaſis circumpoſitam efficeret. Paulum diverſæ ſunt aliæ extra vaſa effuſi humoris ſpecies, in quibus

in maculas late confluit. Tales in vivo homine, cum funesta febre miliari laboraret, natas vidi. Deinde in juvene, quem febris mali moris, soporosa, cum delirio & sensu incendii interni occiderat, inciso, hepar lien equidem sana, intestina vero & colon inprimis, flatu distenta fuerunt. In iis plurimæ maculæ gangrænosæ, ex purpura subnigræ, aliquæ etiam in mesenterio, ventriculo, vesica fellea apparuerunt. In ventriculo aperto signa plurima inflammationis vidi, ex eo genere, quod fit à sanguine in cellulosam telam secundam effuso. Calebat homo 24. hora à morte, media & rigida hieme. Similem effusionem in viri aorta, late extremæ membranæ impositam tanquam sugillationem vidi, continuo supra cor. Uti ab inflammationibus gravioribus externis erysipelaceis Phlegmonoideis febrem produci, & vires acquirere cernimus; Ita ex altera ejus parte tales in penetralibus & visceribus corporis suspicari, justum est. Diversus vero inflammationis internæ progressus gradum vel majorem vel minorem nequitiæ febris efficit.

Quod nunc ipsam concernit curationem, *Cel.* MEAD. *Monit. & præcept. Med. S. III. de febr. contin.* Nulli, ait, morbo magis convenit utile illud præceptum,

ceptum: Principiis obſta, quam febribus. Inter initia enim juvare plerumque facile, at cum malum invaluit, difficilius ægrotanti ſuccurritur. Occaſio enim eſt præceps, & fruſtra ſæpe ea medicina eſt, occupato jam vi morbi corpore, fractisque viribus, quæ in principio à periculo expedire hominem potuiſſet. Neque tamen fato ſuo permittendus eſt, qui auxilium ſero petit, quando quidem morbos, antiquiſſimis temporibus ad iram divinam relatos ars noſtra, quæ Dei ipſius donum eſt, etiam cum res jam deſperatæ videantur, non raro depellat, circumſpicere igitur oportet medicum, neque officio ſuo unquam deeſſe. Ad remedia jam quod attinet, univerſale quod omnes curet morbos, dari, nemo ſaniorum ſtatuet: Tuta vero & proficua in diverſis morbis dari, experientia loquitur. Id vero mirandum, quod Medici remedia in certis quibusdam morbis proficua, in aliis quoque præſcribant indiſcriminatim, & pericula per mortes interdum faciant.

Nihil reluctante natura tentandum, neque ea neceſſitari debet, potius vero leniter duci, quo ipſa fert; Avtocratia naturæ ab HIPPOCRATE medicatrix voca-

tur, quod ipſum experientia non raro in ægris confirmat. ETHMULLER *Tom. II. De Febrium cura Opus*, ait, hoc eſt vel ſolius naturæ, vel ſolius Artis, vel utriusque ſimul. Solius naturæ opus eſt hæc cura, dum coctione materiæ morbificæ, & hinc facta criſi, expedit; Unde in veterum medendi methodo Medici agebant ſpectatores naturæ, obſervando coctionis ſigna & tempora, & hinc expectando criſin, quibus rite ſe habentibus, morbus judicabatur, & ſalvabatur æger. Solius artis opus eſt, quando remediis ſpecificis antifebrilibus fermentum febrile ita enervatur, & corrigitur; Id quod ſupereſt, ſponte ſua & absque morboſo conatu, curante natura. Artis & naturæ opera ſimul curantur in methodo hactenus communiter recepta, qua naturæ, laudabiliter agenti & coquenti, auxiliatrices ferimus opes, impedimenta illius, ſordes & fomites primarum viarum removendo.

Ratione Therapiæ jam Medici valde inter ſe diſſentiunt, non ſolum quoad fontem Pharmacevticum, ſed & Chirurgicum: confer. *Cel.* FURSTENAU deſiderata Practica. Et CELSUS *Cap. de Acutis* Quædam, ait, remedia increſcentibus morbis, plura inclinatis conveniunt: Eaque quæ creſcentibus

apta

apta ſunt, ubi acutus increſcens urget, in remiſſionibus potius experienda. In prima invaſione hinc inde quidam ſuadent vomitoria, ſed ita promiſcue, ut quo tempore morbi, an in initio, an in progreſſu exhibenda ſint, determinatum non ſit, imo à multis initium ita negligitur, ac vix pro febrili commotione habetur inſultus, ut ſero nimis advocatus Medicus, diebus criticis appropinquantibus, non amplius audeat ejusmodi propinare remedia, licet leniſſima ſint, cum motus naturæ facillime turbari queant, & interdum minera in ventriculo non lateat, potius vero in nobilioribus hæreat partibus, ſic ut in vanum exhibeantur.

Interdum autem præſente etiam minera ventriculus ita conſtitutus eſt, ut vix ad vomitum, niſi fortiori commoveri queat vomitorio, quod ipſum reſpectu ſtatus morbi pariter tutum non eſt, alii autem levi vomitorio ita commoventur, ut in eccentricos motus natura conjiciatur, & turbatio mixturæ ſanguinis producatur. Cum igitur in febribus acutis potiſſimum malignis turbatio mixturæ ſanguinis primario compeſci debeat, & quotidie paroxyſmus adſit, ægri quoque ſatis graviter à paroxyſmi ple-

ctantur

ſtantur impetu, & duplici ſic deperditione ſpiritus debilitentur, vix concedi poteſt emeticum, niſi manifeſta in primis viis minera, vel à diæta inordinata prægreſſa, vel à contagio ſuſcepto miasma adſit, tum ceteris paribus lene exhiberi poteſt emeticum, ex rad. Jpecacuan, ℈j in adultis, in junioribus vero ſaltem ℈ß vel gr. xv. cum aliquot granis nitri, ſi in principio morbi advocetur Medicus; ZWINGERUS quoque & GRUBELIUS *Eph. N. C. D. III.* hiſce in caſibus vomitoria cum fructu exhibuerunt. HIPPOCRATES quoque vomitoria diebus imparibus, uti è contra purgationes diebus paribus præcepit, excludunt autem tale virium dejectio, ſyſtematis nervoſi & pectoris debilitas, vomitus cruentus, hæmoptoë, prolapſus uteri, herniæ & rel. Adeo conſtans eſt præceptum, raro prudentem Medicum præſcribere emeticum, niſi urgentibus ex cauſis.

In febribus continuis ſimplicibus in fine paroxyſmi quidam lene purgans tertio die repetendum, præſcribunt, uti *Cl.* NIHEL utile purgans in ægro quodam obſervavit, & RIDLINUS *in Act. Erud. A. 1698.* tradit, tertio die acutæ febris, viribus jam proſtra-

proſtratis, perpetuis vigiliis, dolore cervicis per integram ſpinam dorſi ſe extendente, æſtu interiora occupante, lene purgans feliciter fuiſſe propinatum. CELSUS *L. 3. cap. 4.* Antiqui, ait, medicamentis quibusdam datis concoctionem moliebantur, eo quod cruditatem maxime horrebant, dein materiam ducendo per alvum, ſubtrahebant. Summum jam importat momentum ſcire, quo tempore in febribus acutis purgandum: FREIND *Comment. de Febr.* Tamen, ait, cum locus iſte longe lateque pateat, hæc medendi ratio tam multas habet cautiones, ut neque ullæ de ea ſatis accuratæ ab auctoribus tradantur regulæ, neque niſi laboris & judicii plurimum acceſſerit, tradi poſſunt.

Vnica jam Hippocratis intentio purgantia in febribus acutis exhibendi, erat eliminatio materiæ peccantis, quæ mala produxit, in hoc naturam pro duce habuit, præſcripſit autem purgantia non niſi eo in caſu, quo hos motus ſalutares ægro eſſe credidit, hinc dixit, tum purgandum eſſe, quando humores in perfecta coctione, non vero in cruditate adhuc exiſtant. Unicum tempus, quo purgatio utilis eſſe queat, eſt, teſte GLASS.

 Comment.

Coment. VII. eo tempore, quo materia febrilis in motu eſt, urina ſcil. cocta, ſeu urina, in qua ſedimentum eſt, ſignum præbet, quod febrilis materia in motu ſit; Si vero in primis hæreat viis, per nauſeam, vomitus, aut aliam quandam comotionem in primis viſceribus ſeſe manifeſtat, & per ſympathiam in aliis partibus, verbi gratia, in capite. Materia ergo turgens moleſta eſt materia circa primas hærens vias, quæ aut per os, aut per alvum plerumque excuti poteſt, atque haud raro ventriculum aut inteſtinum ad expellendum irritat. Quod ſi jam opus ſit uti remediis, id eſt, potentioribus, v. gr. V. S. & purgatione, in principio morbi hæc facienda ſunt juxta HIPPOCRATEM, nam ſi ad ſummum gradum vigoris pervenerit, ſatius eſt tranquille ſeſe gerere: Si purgatio autem in principio neglecta ſit, differri debet uſus ad decrementum morbi.

In febre jam, quæ per reſolutionem terminata fuit, nunquam HIPPOCRATES ſuaſit purgans, quia recidivam metuebat, tali in caſu etiam poſt criſin perfectam purgantia rejicit, quia materia febrilis ita evacuata fuit, ut recidiva fieri nequeat. Raro igitur HIP-

HIPPOCRATES in fine febrium purgavit, cum recentiores ¢ contra ad modum Sydenhami ſatis frequenter alvum moveant; *Cl.* BARKER diverſitatem hanc differentiæ climatis attribuit, in ESSAY ſur la conformité de la Medicine des anciens & des modernes. HIPPOCRATES quarto demum die purgationem inſtituit, ut tempus haberet judicandi de ſpecie febris, ſic ***L. de vict. rat. in acut.*** quarto die purgationem præſcripſit in febre ardente. Interdum non ſtatim purgantia adhibuit, quam V. Sne antea adminiſtrata, ſcil. in febre quadam inflammatoria purgationem ideo rejecit, quia materia febrilis tunc non in motu erat, ſed fixa & cruda, ¢ contra ordinavit eam illo in caſu, quo febrilis materia in motu erat.

Dantur morbi interdum inflammatorii, in quibus Hippocrates approbat uſum catharticorum ſine prævia V. Sne, ſcil. in cacochymia ſeu corruptione humorum magis quam in repletione, & prout mobilis erat materia febrilis, juxta hanc ſuam ordinabat curam. MARTIANUS quoque ait, non timendum eſſe in hiſce caſibus incommodum. In primo quoque aut ſecundo die febris malignæ LANCISIUS purgationem commendat; BAGLIVUS & BAILLON pariter

riter in meſentericis febribus; WINTRINGHAM in Hiſtoria morborum Epidemicorum in putridis febribus; Et RAMAZZINI in febribus peticularibus; FERNELIUS in principio omnium morborum acutorum. In omni purgatione jam univerſalis humorum & ſeroſitatis ad primas vias amandatio ſupponitur, cumque operatio purgantium in primis viis non ſubſiſtat, ſed ut plurimum ad M. S. ſeſe extendat, teſte nonnunquam evacuationis copia, quæ ex primis viis minime expectari poteſt, hinc non niſi cum circumſpectione in hiſce febribus exhiberi debent, uti prolixius de hiſce egimus *in Diſſ. de tutiſſ. Meth. cur. Morb. quam plur. & graviſſ. §. 6. 7. & 8.*

Quod diuretica concernit, Medici in eo potiſſimum conveniunt, quod diuretica ſanguinem ſolvant, & diluant plus ſolito, ſeparationem partium ſeroſarum & craſſiorum à ſanguine facilitent, atque vaſa inprimis renalia afficiant: Difficillimum vero eſt, in acutis æque ac chronicis morbis mineras morborum ſic expellere, plerumque enim, vi obſervationum, non ad votum morbifica eliminatur materia, & ſub hac expulſione ſanguis in eccentricum conjicitur motum, diluens

diluens interim, temperans, fluxilis materia inepte expellitur, reliqua vero magis inſpiſſatur & remedium non raro majora producit mala. vid. *cit. Diſſ.* Præter hæc omnia jam in principio harum febrium turbæ illæ in maſſa ſanguinea ſeſe exſerentes, ſedari debent per præparantia, ſcil. conveniunt ea, quæ coctionem materiæ morbificæ adjuvant, quo poſt ſeparationem laudabiles obtineri queant criſes. Non ſine ratione circumſpecti Medici roborantia commendant, acidulata, temperantia, abſorbentia, potiſſimum nitroſa, & pulveres antiſpasmodicos.

Nitroſa jam incidere, attenuare, obſtructiones reſerare, particulas ſulphureas ſanguinis ligare, & figere, atque ſic in omnibus morbis calidis, ubi humidi defectus, ſitis cum vigiliis, alvus porro adſtricta, egregie calorem temperare, ſi ſcil. ventriculus ea ferat, tradunt: FRID. HOFFMANNUS pariter *Diſſert. de recto corticis in febribus uſu* Nitrum, ait, ingentem interiorum ardorem, ipſamque ſitim exſtinguit, & guſtu non ſolum, ſed & virtute evidenter refrigerat, quare in omni calore febrili deprimendo nihil potentius eſt, nitro, præterea flatus diſcutit, & doloribus

ac ſpasmis ſedandis non mediocrem fert opem, ubi vero natura debilis eſt, ibi magna prudentia adhiberi debet. Id jam annotandum eſt, quod diverſa exiſtat omnium ſubjectorum ratio, quodque doſes multum variari debeant.

Nitroſa interim apte exhibita, egregie humorum motus compeſcere, & calentes partes debite temperare & ad diureſin diſponere ſolent, uti frequenti experientia edocti, hoc confirmare poſſumus, neque debilis ventriculus excludere poteſt nitroſa, modo pauca in doſi exhibeantur, id quod & de iis, qui infirmitate pectoris laborant, dicendum, niſi individualis diſpoſitio in certis quibusdam ſubjectis plane hujus excludat uſum. Apte interim de GORTER febris, ait, continuæ cauſa, quæ non fuit ex intermittente orta, nullo mihi cognito medicamento exſtingui poteſt In febre Ephemera blando non nunquam ac miti agitur diaphoretico, præſertim ubi aëris externi frigus vel humida conſtitutio in cauſa ſunt, uti laudabilem diaphoretici mitioris effectum in fœmina 60. annorum ex tali humida conſtitutione Ephemera correpta, obſervavimus, poſtulant autem frequenter

ægri,

ægri, ut ſitis tollatur & calor, adeoque refrigerantia, acidulata tunc exhibentur, aliquando præter dicta etiam abſorbentia. Ubi à crapula, à nimio ciborum onere, Ephemera oritur, vomitus, leni medicamento provocatus, prodeſt. Eo autem in caſu quó Medicus deprehendit, aliquid in corpore adhuc latere, quod erumpere & morbum producere poſſet, lene purgans vel diaphoreticum pro ſignorum & indicantium conditione exhibere poterit. Ephemeram in Juvene 20. annorum à nimio motu æſtivo tempore inſtituto, ſudore largo improvide repulſo, excitatam fuiſſe, obſervavimus, hæç per diaphoretica lenia ac per temperantia debellata fuit.

In malignis febribus diaphoretica non promiſcue conducunt, & prout varia dantur, vario modo agentia, ex iis pro morbificæ cauſæ, quam ſymptomata produnt, varia conditione, & indole, ſeligenda. Quod & de Alexipharmacis ſive bezoardicis, ut vocare ſolent, dicendum. Aliquando enim pro temporis quoque diverſitate in uno ſubjecto conducunt calida, ſpirituoſa, attenuantia, reſolventia, aliquando abſor-

abſorbentia, invertentia, aliquando refrigerantia, diluentia, coercentia, acida, aliquando antiſpasmodica, aliquando papaveracea, opiata, aliquando varie miſcenda ſunt; Acta Vratislavienſia A. 1717. mentionem injiciunt febris malignæ, quæ juniores potiſſimum invaſit, quæque cum horrore, cephalalgia, ſiti, deliriis, & 5. die Lipothymiis, convulſionibus, ſtipata fuit, in qua primis ſtatim diebus vomitoria, laxantia cum ☿rio dulci, in aliis vero temperantia, alexipharmaca, & bezoardica Nitroſa nullum plane effectum, tandem ſub finem quarti, & initium quinti diei pulveres ex lumbr. terr. cran. human. Lap. Hyacinth. Cinab. Nat. & Nitro, quavis hora exhibiti, ſudorem cum euphoria ad 7. diem durantem, ſicque remiſſionem, & febris tandem plenanariam ceſſationem, produxerunt.

Plurimi Medici in acutis continuis abſente etiam omni malignitate alexipharmaca & bezoardica ceu primaria ſuadent remedia: Licet dentur alii, qui cum formidine oppoſiti ea propinare ſoleant, imo nequitiam harum febrium ab uſu bezoardicorum demum produci, ſtatuant, cum alii iterum ex alio agentes fundamento, effi-

efficaciam & probatam vel detectam vim adhuc ob defectum genuinorum experimentorum in dubium vocent, & absorbentem solum virtutem lapidi bezoar adscribant; Cum autem ægri & individuales mire varient circumstantiæ, hinc nec in totum rejici, nec nimia cum fiducia & dosi, ac nimis sero talia propinari debent; Potius igitur media incedendum via, & sedatioribus, fixioribus, temperatioribus, præ exæstuantibus, utendum; confer. *Cel.* ALBERTI *Dissert. de Diaphoreseos usu & abusu.* Lapidem bezoar interdum cum pauxillo camphoræ mixtum pro ægri & morbi conditione, justa dosi, & debito tempore exhibitum, non contemnendos præstitisse effectus, varii affirmant Medici.

Camphoram in febribus inflammatoriis humores attenuare, & causas tensionis & inflammationis propellere, *Act. Edinb. T. II.* tradunt. Camphoram ad 3. vel. 4. grana per diem, cum aliis convenientibus remixtam, vel ad noctem in emulsione in deliriis, & ad arcendam inflammationem interdum per aliquot dies utiliter exhibitam fuisse, observavimus. Alii majorem quoque dosin camphoræ cum fructu exhibuerunt.

Camphoram quoque cum aceto calide commixtam in febribus putridis malignis utilem fuisse, Huxham annotavit. Debito pariter tempore, scilicet quoad maximam partem post sextum, aliquoties intra tertium vel quartum, imo & intra 5. & 6. diem, in adultis vel globuli Mecklenburgensis, vel pulveris anglici, scrupulum mane pro dosi, & ad noctem pulverem confortantem a ℈j ad ʒß. & si non suffecerunt, altero die eandem dosin, & pro re nata tertio die ℈ß. in junioribus vero parciorem horum remediorum dosin, sine aliorum remediorum additione, præscripsimus, & laudabiles interdum obtinuimus effectus: Interim & naturæ vim & reliqua remedia huc symbolum contulisse, credimus: Erroneo etenim ex fundamento bezoardicos illos pulveres notissimos ad emendandam malignitatem præscribi, quippe in his non omnia æque congrua vel efficacia esse, statuimus.

HIPPOCRATES medium quoad sudorifera observavit remedia, sudorifera nec ordinabat in principio morbi acuti, nec intentione ejiciendi ex sanguine venenum imaginarium, uti quidam fecerunt, sed ea intentione, ut adjuvet naturam, eo tempore, quo

quo ſenſerat criſin per cutim, poſt coctionem materiæ febrilis, ſequens in hoc, uti in omni alia re, viam, quam natura ipſi indicabat. Omni modo quidem Medicus procurare tenetur ſudorem, attamen ſudor aliquando in malignis ſymptomaticus, ut vocant, ſpiritus diſſipans, reſolvens nimius, vires dejiciens maxime adeſt, qui coercendus magis, quam promovendus. Non raro multum juvat, cum Alexipharmaca & diaphoretica non inſigni doſi pro una vice ad ſudoris eliminationem exhibentur, ſed ſenſim ſenſimque per unam duas tresve horas, vel in mixtura, vel in pulvere &c. ut æqualis & continuus udor ſeu mador, ad minimum transſpiratio libera ſit.

Cum in ſudore æger eſt, non licet abſtergere faciem niſi interdum linteaminibus calefactis. Eodem tempore licebit ægrum reficere mixturis acidiuſculis, vino rubi idæi, granatorum, Cydoniorum, orbiculis mali Citrei, Ceraſis acidis, berberibus, ribibus conditis. Tempus ſudationis non horarum numero, ſed euphoria, tolerantia, virium ratione & conditione, oppreſſione,

 reſo-

resolutione determinandum, ut in æquali calore, moderato tamen, detineatur corpus; Lectum pariter non quotidie sternere, vel ægrum ab uno calido lecto in alterum calidum portare conducet. Multa interim pro bezoardicis venditantur, quæ nullo modo hac gaudent efficacia, multa iterum existunt, quæ pro talibus minime habentur: Tutissima quidem, sed magis universalia sunt sudorifera fixiora. Majorem adhuc in præscriptione requirunt circumspectionem spiritus illi & tincturæ bezoardicæ, quæ in officinis prostant, licet non pauci ejusmodi in morbis mixturam simplicem larga dosi frequenter præscribere soleant, quid autem de hac statuendum sit, *Cel.* B. Dn. RUD. JAC. CAMERARIUS *in Dissert. de mixtura simplice* prolixius indicavit. Quid porro tinctura bezoardica *Cl.* CLUTTONI Angli, cujus efficaciam in febribus acutis maxime deprædicat, præstare valeat, experientia suo tempore ulterius comprobare poterit.

Formula remedii, quam CLUTTON libro sub titulo: Methode courte, & assurée pour guérir les fievres continües: inseruit, hæc est: ℞. Ol. Sulphur. per Camp. legitime præpar. ol. Vitr. rect. Salis ana. p. ae.

Spir.

Spir. Vini rectificatiss. triplum horum omnium, digere per mensem : ad siccitatem destilla. Hujus spiritus libris duabus add. Rad. angel. serpent. Virgin. Sem. cardam. ana. drachmas sex. F. Tinctura. Administrandi modus. Hujus Tincturæ tantum aquæ puræ instilletur, quantum ad gratam aciditatem conciliandam requiritur, Julepusque resultans saccharo ad gustum ægri edulcoretur, illique sitienti, quantum desiderat, ad bibendum exhibeatur. Plerumque sex libræ spatio viginti quatuor horarum sufficiunt, post earum assumtionem in sudorem æger incidit, & urina coctionis signa dat, symptomataque vel plane cessant vel saltem remittunt. Quando febris viginti quatuor horarum spatio nondum penitus est sublata, illa remedio per æquale tempus, sed in minori quantitate continuato, cum omnibus symptomatibus certo aufertur.

Liquor cornu cervi succinatus in certis quibusdam morbis satis laudabilis, caute tamen exhiberi debet, quoniam & teneriora subjecta, & commotionibus sanguinis obnoxia in utroque sexu non æqualiter eundem ferre possunt: Spiritum quoque cornu cervi sanguinem dissolvere,

& hæmorrhagias producere, *Cl.* HUXHAM monet. *Cel.* STAHLIUS pariter uſum hujus in febribus diſſuadet *Praxi Med. Sect. I. Mem. VII. de Febribus.* Efficacem vero uſum Acidorum ~. ♁is & ⊕li, nec non acidi citri & berberum commendat. Liquor autem mineralis anodinus ad mentem FRID. HOFFMANNI rite præparatus, juſta doſi exhibitus, magis laudabilem exſerere ſolet effectum.

Denique pulveres illi analeptici ex lapidibus pretioſis compoſiti non tantam exſerere queunt præſtantiam, ac vulgo ſibi multi perſuadent: Si uſum vel facultatem eorum examinabis, deprehendes, quod tantum opinio lapides iſtos pretioſos praxi noſtræ intulerit, ut principibus & magnatibus perſuaderetur, in illis ſingulare confortans latitare; Quod tamen citius in viliſſimo ſilice vel alio ſimplicium reperietur, quam in iſtis. Ego dico, quod ſentio: Qui contrarium ſuſtinet, illi probatio incumbit. Nam ſine ratione vel experientia erubeſcat practicus loqui. Jam ratio, cur hi lapides pretioſi ſint, vel debeant eſſe confortantes, deeſt; Experientia vacillat. *Cl.* DALE *in Pharmacologia.* Eandem fere ſententiam fovet KOZAMERO *in Lib. de*

de variolis. Lapides pretiosi, aurum, Margaritæ orientales &c. quibus quid damnosius ? Implentur corpora rebus à natura non domandis, quæ vi sua mechanica agant, & irritando, vomitus, convulsionesque producant. De HAEN, conf. FELIX PLATERUS *Cent. Q. de inanitate gemmarum, lapidum pretiosorum & auri in curandis morbis*.

In agrypnia & in omni malignitate opiata proscribenda esse tradunt, de fortioribus idem quoque statuimus, interim blanda opiata cum alexipharmacis refracta in dosi in febribus malignis propinata, ubi in primis debilitas spirituum ab oppressione producta est, utilia esse solent; Remedia somnum modice conciliantia in acutarum incremento præscribi possunt, ubi in primis cephalalgia, æstus nimius, & vigilia excedunt, hæc enim tanquam urgentia symptomata prius tollenda sunt, & si hæc sublata sint, facilius postmodum somnus insequitur: Quippe ex impedita sanguinis circulatione per opiata non ineleganter effectus narcoticorum deduxit FRID. HOFMANNUS *in Diss. Phys. Med.* Maximum jam momentum

in

in tempore, modo, & dosi, opium exhibendi, situm est, imo in ægri & morbi individualibus circumstantiis. In variis autoribus mentio fit, de miro effectu opii in mali moris febribus instante crisi, quippe spasmum vehementem exinde mitigari, & naturam ab extraordinaria confusione liberari, statuunt.

Non omni autem tempore fluidi nervei vehementior influxus per opiata fortiora cohibendus est, interdum enim tales fluidi hujus turbæ, & extraordinarii existunt motus, ut non semel observaverimus, vigilia potius producta & dolores auctos fuisse, imo nonnulla subjecta per opiata vix ad somnum disponi potuisse, optima igitur hisce in casibus sunt, demulcentia & sedantia. Pulveres Antispasmodici, succinum, viscus quer. castor. Lumbr. terr. nec non nitrum in se laudabilia sunt remedia, sed & secundum antedicta doses pro morbi & ægri individuali constitutione attemperari debent, potissimum igitur absorbentia acidulata, & roborantia hisce in morbis non sine effectu præscribi solent. *Cl.* HARRIS *Lib. de Morbis infantum acutis* notat, quod Mercurium

Sexies

Sexies ſublimatum contra febres comatoſas puerorum cum fructu uſurpaverit. Uti alias entia præter neceſſitatem non ſunt multiplicanda, ita & idem de remediis quoque circa hoſce morbos ſtatuimus, quivis enim ſelectum probatorum quorundam remediorum ſibi comparare, & debita cum circumſpectione in morbis applicare poterit. conf. *Cel.* BRENDELII *Diſſert. de vanitate cumplurimum Medicamentorum. Cel.* STAHLIUS *in Obſerv. Med. Pract.* Febris acutæ, quæ ſomno die critico & ſeptimo judicata fuit, mentionem injicit. Rara pariter eſt illa curatio ægri notabili inſultu febrili, & inſequente delirio furioſo correpti, qui quidem initio morbi aſſumſit remedium, in progreſſu autem plane nullum, tandem à muſica ſomno exinde conciliato, criſin perfectam obtinuit, & feliciter evaſit. Memoires de l'Academie Royale des ſciences de Paris l'An. 1708.

Nonnulli cortices Peruvianum & Chaquerillæ hiſce in febribus applicare ſuadent, alii vero hos plane damnant. Monet jam *Ill.* HELVETIUS *Tom. II. Traité des maladies les plus frequentes;* Malignitatem interdum in continuis malignis diverſis reſiſtere remediis, malignitate interim

ultra decimum tertium aut quartum diem ſeſe extendente, & paroxyſmo certis recurrente horis, decoctum ex cortice peruviano pro potu ordinario, una cum pulvere viperarum, ſale abſinthii & Radice contrajervæ, cum fructu præſcribi. Corticem peruvianum refracta in doſi, ſi periodicæ ſint, & graviores, & longiores febres interponere poteſt Medicus, & nos quoque in continuis febribus ex cauſa intermittentium acutis moderatam doſin corticis peruviani & chaquerillæ, cum aliis convenientibus, non ſemel cum fructu propinavimus, tranſpirationem nimirum augendo ſubactam eduxit materiam.

Pari modo *Cel.* WERLHOFF *in obſerv. ad febr.* In acutorum, ait, morborum reliquiis exſtirpandis & reſtituendæ perſpirationi inſenſibili, utiliter cortex adhibetur, & egregium naturæ robur addit, & lentæ tabificæque ægritudinis metum & periculi reverſiones præcidere ſolet; Interim corticem Peruvianum in febribus cum inflammatione conjunctis ſemper noxium, in aliis calidioribus obſcure remittentibus funeſtum fuiſſe notatum, Hiſtoria morborum Anno 1699. Vratislaviæ graſſantium, refert. Denique

in declinatione morbi ſudor vel tranſpiratio aliquandiu moderate conſervanda, & tonica ſtomachica exhibenda ſunt v. gr. Elix. Balſ. tem. H. vel Eſſ. alexiph. ſtah. temp. v. Eſſ. ambræ liquid. ad xv. vel ultra gtt. laxans vero in fine, niſi alia contra indicantia adſint, non diſſuademus. Præter hæc omnia etiam externa v. gr. balneum brachiorum, hypochondriorum, pedumque gradum caloris naturalis humani corporis non excedens, in febribus inflammatoriis laudabile eſſe remedium *Cl.* HUXHAM aſſerit. HIPPOCRATES pariter *de acut. morb. vict. rat. Sect. IV. cap. 5.* Sub limitatione in acutis morbis balneum ſuadet; FRID. HOFFMANNUS quoque *Syſt. Med. Rat. T. III.* in acutis balnea temperata bona eſſe affirmat. Hæc vero experimenta aliis potius relinquimus.

Ad Chirurgicum quod attinet Fontem, primo quidem loco ſeſe offert V.S. Hic ſane valde inter ſe diſſentiunt Medici, dum alii cane pejus & angue fugiendam eſſe tradunt, alii vero inter neceſſaria remedia eandem ſummopere ſuadent. Præſtantiſſimum, ait, *Cl.* MEAD Monit. & Præcept. *Medic. P. XIII.* in febribus omnibus incipientibus remedium eſt ſanguinis detra-

ctio, ſi culpa quavis illa prætermiſſa fuerit per aliquot dies, num adhuc ea fieri debeat, diſpiciendum erit. Si intolerabilis igitur in quacunque parte corporis dolor urget, ſi ſpiritus ægre trahitur, vel ſi delirium acceſſit, ſanguis pro ratione virium mittendus erit aut ſcalpello, ſi illæ ſatis conſtent, aut per cucurbitulas, ſi fuerint imbecilliores; Aut denique per hirudines, ſi infirmiſſimæ videantur. Atque hæc, ſi conſiſtente jam morbo fieri poſſunt, multo magis in principio locum habent; Et hirudines quidem, ut illud in transcurſu moneam, premente delirio, ſæpe inſigniter juvant.

JO. BAPT. à SCARAMUCCI *in Theor. Familiar.* in febribus & inflammationibus V S. ad orgasmum maſſæ humorum compeſcendum recte inſtitui ab omnibus & cum ſucceſſu, in comperto habet, non quod ſanguis refrigeretur, aut putridus humor ex corpore extrahatur, ut alii ſentiunt, ſed quod, diminutione facta, proportionatum vaſis ſpatium ſanguini tranſeunti concedatur; Non aliter vero, quam extrahendo, diminuendoque ſanguinem obſtructiones pelli poſſe, ex mechanica corporis noſtri ſtructura demonſtrari poſſe credit. Generoſum interim remedium V. S. dici poteſt: Etenim

Etenim non in omni orgasmo & turgeſcentia ea ſtatim adminiſtranda, cum non raro minus ſecura & minus neceſſaria ſit, & temperantibus internis iſti compeſci queant motus. A nimia V. S. in calidioribus regionibus ad abſolutam neceſſitatem & commoda tuto concludere non licet, copioſe jam miſſus ſanguis vitalem ſubtrahere ſolet vigorem, exinde tranſitus in ſtatum cacochymicum fieri poteſt, imo & ab intempeſtiva V. S. in febribus recidivæ produci poſſunt, licet larga non fuerit; LOBB *in Inſtit. febr. cur.* parum V. S. tribuit, inprimis, ſi magna ſanguinis copia emittatur, ab ℥vi ad ℥viij eam ſolum extendit.

In febribus jam ſynochis ita agendum, ut partes vitales à nimium congeſto ſanguine liberentur, ſicque vel levior in iis inflammatio impediatur; Adeoque ſanguis tempeſtive juſta in quantitate mittendus, quippe HIPPOCR. *L. 4. de vict. rat. in acutis* venam, ait, in acutis morbis ſecabis, ſi morbus vehemens appareat. & qui ægrotant, ætate vigeant, virium robur ipſis adfuerit; PITCARNIUS pariter *Elem. Med. Phyſ. Mathemat.* & TRALLIANUS *Lib. 12.* monent, in continentibus febribus ſolertem adhi-

 bendam

bendam eſſe diligentiam in adminiſtranda V.S. etenim maximum incommodum eſt, cum in omnibus morbis, tum in his dilatio: Nam febres vehementiores redduntur, & vires imbecilliores, ut non amplius magna præſidia ad curationem admitti poſſint. Hi vero indigent maxime ſanguinis miſſione, qui urinas habent rubras & turbatas, oculos rubros, totum corpus grave, & calidioribus magna ex parte cibis, potibus vino liberaliore & vetuſto, carnibusque pinguibus uſi.

CÆLIUS AURELIANUS tertio acutorum die (finito ſcilicet abſtinentiæ tempore) V. S. adhibet, vel urgente infra Diatriton, raro poſt eam; V. Snem in principio quoque repetitam inſtituendam eſſe, etiam ſi vel minima ſuſpicio appareat morbi acuti & inflammatorii, BAGLIVI *in Prax. Med.* monet GUID. HARVEY *in vanitatibus Medicinæ*, per V. S. ſemel vel bis inſtitutam ſpiritus libertati quidem reſtitui, & maſſam ſanguineam ſpatium capacius acquirere concedit, nihilominus, ſi frequentius repetatur eadem, ſpiritus diſſipari, & febri minus conſuli putat; TAUVRY *Nouvelle practique des maladies aigues*; V. S. frequentem in malignis pariter rejicit.

Cel-

Celſius quoque cum ſit, ait, minime crudo ſanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum eſt. At ſi morbi ratio patiatur, tum demum, nulla cruditatis ciborum ſuſpicione remanente id fiet: Ideoque ei rei videtur aptiſſimus adverſæ valetudinis dies ſecundus aut tertius, ſed ut aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic poſt quartum diem utile nunquam eſt, quum jam ſpatio ipſo materia vel exhauſta eſt, vel corpus corrupit, ut detractio imbecillum facere poſſit; JOH. FREINDIUS vero in ægro acuta febre laborante 1. 5. & 10. die, V. S. adminiſtravit cum fructu. *Comment. 11. in L. 1, & 3. Epid.* HIPPOCRAT. JODOCUS LOMIUS ſemper matutinum tempus eligit ad V. S.

In nulla febre & veterum & recentiorum omnium conſenſu, tam neceſſaria eſt ſanguinis miſſio quam ſynocha, & quidem ſufficiens atque matura. Sed non imitandi veteres, præſertim GALENUS, & qui preſſe hunc ſectatur, ZACUTUS LUSITANUS, qui ſanguinem ad animi usque deliquium mittere ſuadent. Menſuram potius ſanguinis extrahendi Medicus prudens ex ratione virium, ætatis, ſexus, & temperamenti, nec non ex pul-

ex pulſuum magnitudine, venarumque amplitudine dijudicare debet, ac ubi corpus firmum, ſuccisque plenum præſtat, iterare altero die V. Snem, quam ſimul & ſemel nimium evocare, quo ſucceſſive demta copia, perſpiratio ſervetur, & difflatio ſordium liberior reddatur. Neque pueri & adoleſcentes pleni ſanguine hoc remedii genus detrectare debent. Qui autem penitus averſantur, his hirudines in collo aliquando cum fructu admovere juſſi; *Cl.* FRID. HOFFMANN. *Med. Syſt. T. IV. Sect. II. De Febre Synocha.*

Febris jam Ephemera V. S. præciſe non indicat, ſi vero per plures dies protrahatur, cum plethora conjuncta ſit, V. S. indicat, ſi vires validæ, & ætas permittant, & nihil aliud fortiter reſiſtat, pro conditione autem morbi & virium ægri demum quantitas ſanguinis determinari poteſt. Quantitas ſanguinis evacuata, teſte *Cl.* HUXHAM, debet eſſe proportionata viribus ægri, conditioni pulſus, vehementiæ febris, calori & vehementiæ ſymptomatum, id eſt dolori, conditioni pectoris, reſpirationi, &c. Et corporis quoque habitus conſiderari debet. Nam

certum

certum eſt, quod, ſi omnia reliqua paria ſint, homo robuſtus plethoricus plus ſanguinis perdere queat quam alius, hoc non gaudens habitu, interim defectus ſemper præſtat exceſſu, quoniam V. S. ſemper pro neceſſitate reiterari poteſt, eo potiſſimum in caſu, quo dolor, calor, & difficilis reſpiratio non imminuuntur poſt primam V. S. Cælius jam Aurelianus nusquam gemminatæ V. S. in acutis mentionem injicit; Sed cucurbitulis & ſanguiſugis, poſt ſectam venam, in iis crebro utitur. Oppreſſio pulſus frequenter per plethoram producta eſt, idque ex eo manifeſtum fit, quoniam experientia teſte, pulſus arteriarum poſt V. S. hiſce in caſibus augentur.

Non ſolum igitur ea ipſa volumen & celeritatem ſanguinis imminuit, ſed ulterius eundem ita diſponit, ut liquores diluentes, temperantes & tenues facilius recipiat, in morbis vero contagioſis cum cautela inſtituendam eſſe non ſine ratione cenſemus, ſi jam urgentia hiſce febribus ſuperveniant ſymptomata, tum V. S. adhuc iterari poteſt, hac cum cautela, quod quantitas pro ægri, pro morbi & virium con-

 ditione

ditione attemperari debeat, hæcque ſymptomata urgentia Medicum docebunt, an in collo, an in brachio, an vero in pede ſecanda ſit vena. Accidentia periculoſa in febribus malignis rebellibus in primis in progreſſu v. gr. deliria, convulſiones, hæmorrhagiæ, mala capitis, inſomnia, oppreſſiones pectoris, & deliquia non raro obſervantur; JOH. WHITE *in Nov. & exact. obſ. circa febres*, febribus continuis putridis exquiſitis, absque exacerbatione tamen mortuos eſſe homines in ſummo vigore, in ætate florente conſtitutos, quod, qui illorum curam egerunt, nimis timidi fuerint in mittendo ſanguine juxta communem methodum medendi ultra libram unam raro concedentes V. S. Servatos vero fuiſſe, qui naturæ beneficio per nares vel hæmorrhoides 3. 4. vel 5. ſanguinis libras perdiderunt. Confirmatus fuit in ſua opinione in febribus putridis exquiſitis, magis periculoſis, iisque remittentibus.

Et V. S. in febribus malignis ratione ſymptomatum quorundam locum habere moderato uſu RAYNALDUS *Tract. de mal. febrib.* & ZWINGERUS *Eph. N. C. D. II.* ſtatuunt. In febribus tamen malignis

& con-

& contagiosis curandis A. 1701. Vratislaviæ grassantibus Medici V. S. omiserunt: Hi vero Medici in historia hac supposuerunt materiam, quæ sub halitus forma in quantitate exili in corpus irrepsit, sic ut per V. S. ex corpore eliminari nequeat. Act. Vratisl. An. 1701; LANGRISCH statuit nullo alio remedio efficacius revelli abundantem in cerebro ejusdemque membranis sanguinem, quam Venæ potissimum jugularis sectione, & in deliriis magno semper auxilio fuisse, cujus antiquitatem & securitatem demonstrare & argumentis evincere annisus est FREINDIUS.

In putridis synochis febribus, nec non in ardentibus cholericis, ubi vomitus, diarrhoëæ, vel ubi corpus biliosum, non sine formidine oppositi V. S. instituitur, uti & idem in illis febribus putridis, quæ à cacochymia humorum ortum ducunt, cæteris paribus dici debet: Hinc LAUR. RIVERIUS in observ. 1. multum, ait, aberrant Medici, qui in omni febre continua indiscriminatim à V. S. incipiunt, dum putridis humoribus in prima regione stagnantibus oriuntur, qui purgatione facile educuntur. Annotan-

 dum

dum jam, ſanguinem non temere mittendum eſſe; niſi indolem Epidemii prægreſſis aliis perſpexerit ſpeciminibus, facile enim tunc V. S. funeſtum edere poteſt effectum. Locus quoque in quo V. S. inſtituenda in fæminis gravidis Medici judicio relinquendus eſt; In febribus malignis ſanguinem vena miſſum interdum ſanitatem, interdum funeſtum producere effectum, tradunt, & hoc ipſo tempore V. Snem utilem eſſe, illo noxiam; In ejusmodi febribus V. S. primis tribus diebus in plethorico, & ubi conſueta V. S. neglecta fuit, in repentinis ad pectus congeſtionibus, in ætate non nimis tenera, & quando malignitas non adeo prævalet, inſtituenda eſt, imo ſi neceſſariæ ſe- & excretiones impediantur, repetita V.S. admitti poteſt, in paroxyſmo vero inſtitutam V. S. cœcitatem produxiſſe, hinc inde annotarunt practici, uti inprimis ex obſervationibus Medici cujusdam Xenodochii Pariſienſis quinze vingt dicti, conſtat.

Quamquam CELSUS *L. II. C. X.* non abſolute damnaverit V. Snem in ipſo etiam febris paroxyſmo; expectanda vero intermiſſio, ſi non decedit, cum creſcere deſiit, ſi neque remiſſio ſperatur, tunc quo-

que

que, quamvis pejor, ſola tamen occaſio non omittenda eſt. HARRIS *in Diſſ. Medic. Chir.* illam damnavit V. S. quæ in continuis febribus acutis nimis ſero, & in ſtatu, aut progreſſu, cum vires dejiciuntur, inſtituitur. GALENUS vero *de curand. rat.* per V. S. quocunque die mittendi ſanguinis ſcopos in ægrotante inveneris, in eo illud auxilium adhibeto, etiamſi vel vigeſimus ab initio is exſtiterit. Scopos ſcilicet poſuit morbum ingentem & robur virium. Pulcro quoque cum ſucceſſu *Ill.* Dn. van SWIETEN V. S. aliquando ſerius inſtituit. Aptè jam noſtro judicio de his omnibus *Cl.* KLOCKOF. *Opuſcul. Med.* Eſt, ait, ubi ægritudo ſeram V. S. urgeat, impedimenta prohibeant, æqua fere ratione. Difficiles hi & tædio pleniſſimi caſus committi debent arbitrio Medici unius cujusque generalibus præceptis inſtructi; Cujus eſt ſerarum V. S. vera pericula ita librare, ut juſtam ſimul rationem ineat morbi & ſymptomatum, ad quæ multa alia Medicina multoties ludibrio eſt.

In febre ſynocha quando ſanguis cum impetu ad caput fertur & arteriæ intus fortiter pulſant, facies

ſimul tumida eſt cum oculis, & rubicunda, ac nares aliquot tantum guttas ſtillant, provocandus eſt ſanguis, vel veteri Ægyptiorum more ſcarrificatione narium, vel valida intruſione culmi ſtraminei, quo delirium arceatur. Sed qui tali in caſu venas ſublinguales incidere ſolent, minus ſecurum ob incompeſcibilem non raro hæmorrhagiam interponunt juxta FRID. HOFFMANNUM.

Veſicatoria tandem ob effectus, quos præſtant, laudabiles tuto admitti poſſunt, interim novimus ſubjecta teneriora, quæ ob ſenſibilitatem nimiam ita à veſicatoriis afficiuntur, ut abſtinendo tali in caſu ab illis, Medicus optimum eligat conſilium. Neque in omnibus febribus acutis veſicatoria ſuaſimus, niſi urgentibus ex cauſis, interdum quoque in febribus cum ſpasmis, hi magis exacerbantur per veſicatoria, monet quoque HUXHAM ESSAY *de fievres*, Veſicatoria ſal acre ſanguini communicare, & fibras irritare, ac inprimis in febribus inflammatoriis & ardentibus in principio non conducere, teſte quoque BAGLIVO *Prax. Medic. cap. de uſu & abuſu veſicantium:* in uſu veſicantium maxima cautio adhibenda, ne indiſcriminatim præſcribantur quolibet

anni

anni tempore, cuilibet ætati, temperamento, habitui corporis, & quibuslibet morbis, ſed duntaxat dum neceſſitatas urget. Etenim veſicantium abuſu rigiditatem cruris contractam fuiſſe *Acta Acad. N.C. A. VII.* tradunt.

Veſicatoria in malignis febribus carpis manuum impoſita, optimum exſerere effectum, tradunt, interim locus talis magis tendinibus, quam carne inſtructus eſt; Hinc & dolores intenſiores & ſpaſticas contractiones frequenter excitatas fuiſſe, experientia confirmavit. Carnoſis igitur partibus omni tempore imponenda eſſe dolores & ſpasmi ſuadent, quippe ſcopus eſt compeſcere potius dolores, quam excitare, & debitum ſpirituum animalium influxum & æquabilem reſtituere, minime vero eccentricum reddere. Veſicatoria vero in vertice applicata delirium tollere *Act. Edinburg. T. II.* tradunt. In principio & ſtatu febrium, pro comate in deliriis avertendis quando pulſus debilis & caput multo ſanguinis ſero repletum pariter magni uſus eſſe EDUARD. STORTHER *in crit. febr.* tradit.

Ex

Ex fonte diætetico petita præſidia quod attinet, dum ſitis non raro urget, potus tenuis, ſanguinem temperans, ventriculo conveniens, nec eum lædens optimus eſt, potus quoque ſufficiens fluxilitatem ſanguinis conſervans, æſtum temperans, ſe- & excretiones promovens, apprime conducit; Nonnunquam ſpiritum vitrioli dulcem aquæ fontanæ modica in copia inſtillavimus, interdum aquas Selteranas, vel acidulas Theinacenſes, vel alias aquas minerales pro conditione ægri & morbi, interdum infuſum ex HBis acetoſellæ, Acetoſæ, portulacæ, parietariæ, chærefolii, Hederæ terreſtris, fl. ſamb. interdum decoctum ex fl. paralyſ. pap. rh. Rad. Altheæ, bardanæ, graminis, Scorzoneræ, ſuaſimus, alii tale quoque ex ceraſis vel recentibus vel ſiccis, vel ex acetoſ. Til. flor. caſſ. Lign. vel cin̄am. parant.

Alii ſpecies pro decocto ordinario aut potum conſuetum alias ordinarium aut cereviſiam tenuem in adſuetis commendant, licet eam multi diſſuadeant Medici. Denique frigidum potum, ubi diaphoreſi opus eſt, omnino vitandum eſſe, cenſemus. Quamquam HIPPOCRATES in ejusmodi febribus vinum exhibere

bere ſuadeat, nihilominus, ubi calor urget, & metus inflammationis, ſuſpectus ejus uſus eſt, etiamſi pauca exhibeatur in doſi, magis adhuc admitti poſſet vini uſus moderatus in declinatione morbi. Singulare interim eſt, quod in febre quadam Epidemica maligna, in qua vermes teretes affatim excernebantur, vinum maxime profuerit, ceu in quod vermes pariter vivi inditi, ſtatim perierint, cum in oleo, aqua ſaccharata, ſpiritu vini, aceto, ſucco limoniorum per plures horas ac dies vixerint BAGLIVI *Oper. Med. Pract.* Eo quoque in caſu, ubi ſanguis nimis fluxilis & vappidus vinum adhuc concedi poſſet; Interim diſtinguenda ſunt ſubjecta, clima, morbi indoles, & reliquæ circumſtantiæ individuales.

Victum quod attinet regulariter in continuis febribus parum appetunt ægri, hinc nec ad cibos cogendi ſunt, tenuis igitur victus in continuis optimus eſt, & quo magis acuta eſt febris, eo tenuior & ſtrictior convenit diæta. HIPPOCR. *L. IV. de acut. morb. vict. rat.* oportet, ait, initio morbi ſorbitionibus ægros nutrire & ptiſanæ cremore inque morbi vigore tenuiſſima uti diæta. Poſſunt vero inter alia ſpinachia, lupulus, Endivia, cremor avenæ & hordei

tanquam alimenta propinari non pinguia, non ſalita: Imo Rad. ſcorzoner. & HB. chærefol. quæ non multum nutriunt. Accinit huic CELSUS *Lib. de acutis continuis febribus:* in acutis, ait, morbis ſerius æger alendus eſt, nec niſi jam inclinatis, ut inedia, demta materia, impetum frangat. Eſus carnium, nec non piſcium viſcidorum, non niſi ſub cautela permittendus, imo & juſcula carnium quotidie non nimia in copia, nec nimis pinguia, potius vero gelatinoſa admitti debent, conf. *Comment. Bonon. Tom. II. de jurium diverſitate.* Circa dies criticos interdum plane à medicamentis, imo à cibo, & à multo potu per diem & ultra abſtinendum eſſe non ſine ratione optimi monent practici: *Ill.* Dn. van SWIETEN *Comment. in Bœrhav. Aph. de cognoſc. & cur. morb. de febrib. contin. acut.* Et de HAEN. *Method. medend.*

Superato jam morbo ad præcavendam febrim hecticam juſcula ex. HB. farfar. hedr. terr. bellid. Hep. nob. &c. conducunt. Ad arcenda peſſimorum morborum miaſmata, & ad illorum vehementiam mitigandam nihil aptius eſt remediis acidis, è quibus acetum vini, & ſuccus citri præcipue eminent, nihil potentius putredini & motui ejus inteſtino reſiſtit, quam acidum;

Vino

Vino jam Rhenano & aceto vini os & nares probe colluenda, vel frustum pomi citrei ore tenendum esse, parcius tamen ventriculo jejuno, Medici imperarunt; Etenim frangitur & enervatur hac ratione immediate & proxime contagii vis virulenta. Spectat huc quoque non condemnenda vis phlegmatis vitrioli, tincturæ papaveris rhœados & rosarum, vid. FRID. HOFMANN. *Path. Syst. Med. R. T. II.*

Aer temperatus quam maxime necessarius est ad promovendas salutares excretiones, siccus autem aër, uti in omni morbo, ita & hic magis prodest, quam humidus, qui potius debilitat. Animi quoque & corporis quies optime hisce in febribus conducit, quoniam magis criticis favet motibus, etenim si ægri nimis anxii sint, & insuper hinc inde in lecto corpus jactitent; Eo magis naturæ turbantur motus, id quod & de loco, in quo æger decumbit dicendum, vid. Tentam. nostr. Semiotic. *P. III. cap. de eruendo genuino morborum caractere;* Primario autem animi pathemata fortiora ob metum recidivæ fugienda sunt. Denique somnus naturalis satis bonum exhibet signum, comatosus autem, & qui malignis supervenit non æque bonus, & curatione potius indiget. Ægris autem

 alias

alias ſomnus nunquam arcendus eſt, etenim ſub tali, turbæ, quæ in ſanguinis ac humorum maſſa, nec non in ſpiritibus animalibus exiſtunt, ſedantur, coctio materiæ febrilis & felicius, & citius abſolvitur, & cum ſub ſomno, teſte Sanctorio, quaſi in balneo vaporis ſuſpendantur corpora, eo ipſo facilius heterogeneæ ex ſanguinis textura eliminari queunt particulæ.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

OMnes ii, qui clinicam exercent Praxin ſatis ſuperque norunt, in febrium intermittentium progreſſu tria obſervanda eſſe ſtadia, 1. horroris, 2. æſtus, & 3. remiſſionis: Scilicet in principio horror adeſt & vehemens ut plurimum exiſtit impetus, ab æſtu vero ad remiſſionem accedentia ſymptomata tunc demum mitiora evadunt. Minime vero frigus corporis occupat ſuperficiem, quod minima & extrema vaſcula ſpaſticam experiantur contractionem, ſicque ex his vaſis repellatur ſanguis. Magis contra inculpanda craſſities

ties & turbatio ſanguinis unâ cum partium interiorum gravi labore. Hoc quippe modo demum ad corporis peripheriam ſeu cutem ſpaſmi extenduntur, minime vero à cute ad interiora propagantur. Sanguinis autem turbatio, & accumulatio ob craſſitiem circa cor, fibras afficere, ſicque affluxum ſpirituum animalium ſub his niſibus ad promtam ſanguinis concuſſionem excitare, atque calorem producere poteſt.

Id jam annotandum eſt, magnam eſſe paroxyſmorum differentiam: Etenim alii à matutino tempore usque ad veſpertinum, alii iterum breviorem paroxyſmi experiuntur decurſum, atque tandem in fine, larga accedente ſudoris excretione, mitiora evadunt ſymptomata, ſic ut ad ſenſum ſaltem æger ante novum acceſſum à morbo immunis eſſe videatur, qui acceſſus tunc evenit, quando febrilia illa nunc actu iterum erumpunt phænomena. Illud autem febrilis acceſſus determinatum tempus morbi demum oſtendit typum. Itaque febres intermittentes in eo ſeſe à continuis diſtinguere ſolent, quod in illis paroxyſmi non ſolum certis qui-

busdam remittant horis, ſed tandem plane intermittant, tempus autem plenariæ hujus intermiſſionis, quod varium eſt, tunc demum declarat; An Quotidiana ſit, ſi quotidie novus accedat paroxyſmus, quæ febris vero rarior eſt; An Tertiana, ſi alternis diebus acceſſus paroxyſmi adſit, quæ febris omnium ætatum homines, omni anni tempore, (licet veri magis adſcribatur,) ſine ulla ſexus differentia frequentiſſime corripere ſolet. An porro Quartana ſit, ſi duobus diebus liberis, quarto demum paroxyſmus redeat die, has vero febres ab æquinoctio autumnali usque ad ſolſtitium hibernum, vel ab hoc usque ad æquinoctium vernale homines corripere vulgo Medici tradunt, quamquam & hic morbi epidemici ceu luculenta ſpecimina exceptiones confirmare ſoleant.

Frigus in quartana non adeo notabile eſſe monent, ſed loco illius pandiculationes, oſcillationes, horrores per ſpinam dorſi excurrentes, adeſſe, nec vomitus adeo frequentes obſervari, quam in aliis febrium ſpeciebus, paroxyſmum vero ipſum loco vehementiæ longiorem eſſe quam in reliquis, &

perti-

pertinaciam hujus affectus singularem esse, cum per menses, imo ultra annum quandoque duret. Quod ante dicta attinet, non semper hæc observantur in ægris quartana affectis, interim dolorem osteocopum primario sese hic distinguere jam in *Tent. Semiot. P. III.* indicavimus.

Recursus jam paroxysmorum adeo varii existunt, ut fere certa dari nequeat regula; Etenim non raro paroxysmi ita stata recurrunt hora, ut nihil exactius esse queat, interdum vero præter omnem expectationem citius invadunt, ut quasi insciis ægris sub somno paroxysmus decurrat, atque sic brevi tempore ante consuetum tempus accedat, uti & idem ex altera parte fieri non nunquam solet, dum accessus paroxysmi tardius, & post aliquot horas fit, inde ejusmodi febres interdum rebelles existere solent. Ex Medicorum pariter observationibus constat, paroxysmos quartanæ solum fere horis accedere pomeridianis, quotidianæ vero frequentius matutinis, denique tertianæ paroxysmos quovis etiam tempore invadere, hæc omnia jam pro norma haberi nequeunt, quippe nulla diei excepta est hora, in qua paroxysmus febrilis non accedere queat,

uti

uti frequenti experientia edocti hoc ipſum confirmare poſſumus, hiſce enim in febribus ad primam commotionem reſpiciendum, quæ lucem poſtea ſubſequentibus afferre poteſt paroxyſmis. Ii, qui clinicam aliquandiu exercuerunt praxin, ultro agnoſcent, miram eſſe varietatem paroxyſmorum quoad intenſionem illorum, & momentum ſymptomatum, effectus quoque modo majores eſſe, modo minores.

Hæ igitur obſervationes anſam dederunt Practicis ſtatuendi, quartum tertianæ paroxyſmum cum vigore acutæ febris æquiparandum eſſe, adeoque quartum hunc maximis ſtipari malis, & ægrum vehementiſſime omnium affligi, interim de febribus tertianis epidemicis hoc annotari ſolet, quod priores inſultus vehementiores ſint, ſic ut acutis ratione vehementiæ non cedant, ſed tamen ſine extraordinario incedant rigore, hoc vero magis de tertiana, de qua HIPPOCRATES mentionem fecit, dici poſſet, licet & hic plures occurrere queant aberrationes; GALENUS *I. ad Clauc. Cap. VIII. in 1. Epid. Sect. 3. Comment. VIII. in 2. de criſibus. C. VII.* tradit, tertianam exquiſitam ſeptem circuitibus judicari, & non eſſe pernicioſam,

ſi recte

ſi recte curetur ; In continuas vero ardentes malignas, colliquativas, hecticas, tabidasque ut plurimum inſanabiles mutari, ALPINUS monet *Method. Med.* additque ſpuriam tertianam non ſeptem circuitibus terminari, ſed longe pluribus, ut VI. menſibus perduraſſe à multis fuerit obſervatum, & ni cito tollatur, minari lienis obſtructionem, tumorem, cachexiam, vel in continuam mutari ſumme periculoſam. Virginem Patavinam inſolitum in dextro hypochondrio tumorem à caſu ab alto contractum, præter quam plurima alia mala per totam vitam corpus affligentia, febrim tertianam, quartanam, quotidianam, lentam & acutam, ardentem, malignam, inflammatoriam ſuſtinuiſſe, *Dominicus Militia Neapolitanus, in Hiſtoria Medica de morbis exitialibus, nobilem virginem Patavinam toto vitæ tempore excruciantibus*, tradit.

Breviorem paroxyſmum in tertiana quam in quartana agnoſcunt Medici ; Eodem autem tempore monendum eſt, quartanam interdum cæteris paribus, rite tractatam, non tamdiu durare ac tertianam. CELSUS *L. 3. Cap. 15.* ſi ex quartana, ait, facta eſt quotidiana, in malis æger eſt, quod tamen niſi culpa

vel ægri vel curantis nunquam fit. In tertiana intermittente progreſſus paroxyſmi raro per 24. horas aut ultra durat, interdum citius abſolvitur. Quod ſi vero dictæ febres in 36. vel 40. horis totum abſolvunt paroxyſmum, illo in caſu in principio absque ullo incedunt horrore, ſed æſtum inſequentem intenſiorem habent, ex quibus abunde patet, tempus apyrexias breviſſimum eſſe, & accurate attendendas eſſe, ne cum continuis confundantur.

Ea febris, quæ alternis diebus ſtatis horis ſuas habet exacerbationes, ita tamen ut non habeat intermiſſionem, ſed in uno continuo decurrat, ægerque tantum non per totum morbi decurſum cum calore & agrypnia decumbat, malignam tertianam indicat, quæ eadem ac continua methodo tractanda eſt, attamen ſemper eo reſpiciendum eſt, an epidemica ſit, nec ne? cum tali tempore æger majori exponatur periculo, quod differentiam ratione medicamentorum afferre ſolet. Quemadmodum quidam morbi in exquiſitos & ſpurios dividuntur, ita idem quoque ad intermittentes applicare ſolent febres, interim re accuratius conſiderata, hæc diſtinctio hanc potiſſi-

mum

mum ob cauſam vix momentum affert, quoniam vehementia ſymptomatum ac operatio medicamentorum æquali ſeſe monſtrant in gradu, & cum aliquot ſaltem inſultibus, circumſpecta medendi methodo adhibita, decurrunt.

In quotidiana intermittente, paroxyſmus quovis recurrit die, pulſus debilis & celer, urina ſpiſſa, calor eſt diuturnior, quam frigus, quod quidem in tertiana quoque evenit, regulariter vero paroxyſmus in utraque hac ſpecie acerbior eſt, quam in quartana, & magis correſpondet cum acutis continuis. Dudum GALENUS *I. ad Glauc. VIII.* & CELSUS *L. 3. cap. 15.* aliique Medici quotidianas febres minime periculo carere; Et ſoporem quotidianæ maxime proprium eſſe, affirmarunt: Ex altera parte *Cl.* MOERING obſervationem tradit *Commerc. Liter. Nor.* de validis convulſionibus febri quotidianæ remittenti junctis in bimulo. Quotidiana duplex ea vocatur, quæ intra 24. horarum ſpatium bis recurrit. Tertiana duplex in ſe quidem eſt quotidiana, hac tamen notabili cum diſtinctione, quod paroxyſmus primo die ratione vehementiæ & ex-

acerbationis reſpondeat paroxyſmo, qui tertio accedit die, paroxyſmus autem, qui ſecundo invadit die, ratione indolis ſuæ mitioris reſpondeat paroxyſmo, qui quarto accedit die. Quartana duplex dicitur, quæ per duos dies ſibi invicem ſuccedentes ſua inſtituit molimina, deinde intermiſſionis unicus exiſtit dies, poſt illum vero iterum duo paroxyſmi in duobus diebus ſibi invicem ſuccedentibus.

Addunt alii tertianam triplicem, in qua uno die bini paroxyſmi, alterâ unus tantum obſervatur paroxyſmus, alii iterum quartanam triplicem ſtatuunt. De quintana febre *Act. Berolinenſ. Vol. VI. & Vratislav.* De quintana vero duplici EBEL *in Miſcell. N. C. D. I.* De ſextana febre *Eph. N. C. Cent. VIII.* De ſeptimana SCHULZIUS. De octana, & nonana HIPPOCRATES & GALENUS *in diverſis locis.* TULPIUS *obſ. L. 3.* de decimana. PAULINI *in obſ. cent. 3.* de febre menſtrua. *Miſc. N. C. D. III.* de anniverſaria, quam & nos per tres quatuorve annos inſequentes in puella obſervavimus. De febre, quæ die natali quotannis affligebat, SCHENKIUS. Denique de febre chronica vicennaria intermittente *Eph. N. C. D. III. A. I.* mentionem

tionem injiciunt, adduntque ægram hac febre laborantem cæterum ſuis functionibus ſine impedimento operam dare potuiſſe.

Ad tertianas intermittentes quidam hæmitritæam referunt, licet alii magis congrue continuis eam accenſeri poſſe, tradant. Etenim ex 48. horis 36. fere per acceſſionem occupat, interdum magis vel minus, non vero plenarie ceſſat, & in remiſſione deſiſtit, ſed ſolum mitior evadit. Dari febres intermittentes malignas CLAUDINUS *Reſp. Sennertus de febribus. L. 2.* MENOTIUS *de febr. malign.* GALENUS *Epiſt. 7.* EPIPHANIUS FERD. *Hiſtoria Med. Mirab.* RIVERIUS DONATUS *C. 3. obſ. 51.* HORSTIUS *L. 1. obſ. 12.* & HELLWIG *in Act. Erud. 1712.* affirmant. Morbum Tſemer Hungaris Endemium modo ſimplicem eſſe nauſeam, modo febrim ſtomachicam Ephemeræ veterum ex cruditate & repletione ortæ analogiam, ex eo potiſſimum MILLETER *in Diſſertatione* ſua concludit, quod terminus ejus intra 1. 2. vel 3. dies abſolvatur, quem, ſi tranſcendat, vel in continuam febrim vel intermittentem deſinat.

 Fieri

Fieri maculas etiam in febribus intermittentibus citra malignitatem, imo cum euphoria exemplis probat RAYNALDUS *de purpurat. & malign. febr.* Febres quartanas per menſes autumnales Anno 1719. & hiemales 1720. Vratislaviæ Epidemice graſſantes easque curatu difficillimas JOH. GE. SIEGESBECK *in Actis Vratislavienſibus A. 1720.* deſcripſit, quas febres Aſtrales & quidem Saturninas vocavit. CLAUDINUS *Reſponſ. 7.* cumplures, ait, febre tertiana intermittente laborantes propter febris malitiam ex ſubſequente cardialgia, perditos vidi. confer. *Cel.* VATERI *Diſſert. de febre tertiana* ob empyema è vomica pulmonis rupta in cavitatem pectoris dextram effuſum, indeque pulmonem hujus lateris compreſſum penitusque ab officio remotum mortem poſt ſe relinquente. Hiſtoriam febrium tertianarum æque ac Rhevmaticarum, cum choleris, diſpnœis, diarrhœis A. 1733. Edenburgi graſſantium *Act. Edenburg.* tradunt.

Fœminam tertiana intermittente laborantem, ſub duobus primis paroxyſmis ſumma præcordiorum anguſtia affectam, ſub ingreſſum tertii paroxyſmi mortuam

tuam fuisse, à Medico quodam certiores facti sumus. Raro autem exemplo in febre tertiana intermittente nec pulsus, nec urinæ mutationem observarunt ETTMULLERUS & KRUGIUS. Dantur quoque febres anomalæ, quæ nullum servant typum, jam tertio, jam quarto, jam quovis recidunt die, frequenter maligni moris sunt, cum urina cruda & siti magna periculum secum ferunt. *Cel.* WERLHOFF *observ. de febribus*, perseveravit, ait, hinc inde in ipsis febribus acutis exanthematicis & inflammatione stipatis exquisitus quartanæ typus, suique paroxysmi intercessione gravia induxit pericula, ut semi quartanas haud immerito dicere queamus semi-tertianis quamvis rariores, attamen non nimis periculosas. Felicibus e contra ægris esse contigit, quibus prius adæquato remedio curata fuit quartana, quum in ejusmodi morbum acutum hibernum inciderunt.

In principio febrium intermittentium non raro sitis adest, quoad maximam partem pulsus depressus, horrores, horripilationes, & tensiones per spinam dorsi, & postea per totum corporis ambitum decurrentes, frigoris sensus, coloris immutatio

tio in pallidum, oſcitationes, pandiculationes fortiores, torpor membrorum primam partem paroxyſmi conſtituunt: Tandem ſenſim remittentibus ejusmodi turbis major circuli fit libertas, ſitis adeſt, pulſus major celerior redditur, calor ſiccus exoritur, materiæ variæ ſub his ore ejiciuntur, inſimulque caput dolet, cum extremitatibus ſuperioribus ac inferioribus, & ſpina dorſi, quibus jactitatio corporis in lecto, oppreſſiones pectoris, interdum dolores circa orificium ventriculi ſuperius, flatulentiæ, imo nervorum tenſiones in partibus dolorificæ, pavores & convulſiones, & in incremento ſicci illius caloris phantasmata ac deliria accedunt, quæ vero erumpente largo in corpore ſudore non ſolum imminuuntur, ſed tandem ceſſant. Interdum continua tranſit in intermittentem & vice verſa, quemadmodum exempla hinc inde proſtant.

Plures Medici & inter hos MORTONUS *in Tract. de febribus*, ſtatuunt, in tertiana eſſe materiam ſpiritibus adverſam, exinde ſpiritus primo affici, dein ad nervos & maſſam humorum tranſire. Confer. *Cel.* LINÆI *Diſſ. de febrium intermittentium Hypoteſibus.*

Patroni

Patroni jam fermentorum in febribus intermittentibus ſibi concipiunt quovis paroxyſmo affuſionem viſcidi fermenti, turbationem ſic mixturæ ſanguinis, & inſequentem ſubactionem ac excretionem per ſudorem evenire. In ejusmodi morbis non ſine ratione ſtatui poteſt, maſſam ſanguineam quoad partes conſtituentes à laudabili & naturali craſi recedere, ac interdum in primis viis & viſceribus formari mineram minus digeſtarum, heterogenearum, mixturæ ſanguinis contrariarum partium, ſicque in quantitate & qualitate peccantem fomitem, primario ex diæta perverſa contractum, frequenter inveniri.

Cel. REGA *in Diſſert. de ſympathia*, ſeu conſenſu partium corporis humani ac potiſſimum ventriculi in ſtatu morboſo, in intermittentibus materiæ febrilis ſedem & vomitem in ventriculo latere partim per SYLVII, WILLISII, ac FERNELII auctoritatem, partim per remedia & curam demonſtrari, tradit: HARRIS pariter *in Diſſ. Med. Chirurg.* eandem fovet ſententiam: Atque FRANC. BAYLE *Inſtit. Phyſ.* alienum, ait, non eſt, aſſerere, in febribus potiſſimum in primis viis quandoque materiam cumulari.

M Hoc

Hoc ſuppoſito lerna malorum & diverſa propullulant ſymptomata, pro activitate cauſæ materialis, quæ vel acris eſt, vel bilis ſui juris facta, qualitate & motu peccans, vel indigeſta viſcidaque exiſtit, quæque robore naturæ, ope variorum motuum ac digeſtionum depurata, tandem ad peripheriam corporis, præter alias vias conſuetas, delata, excernitur, ſic ut quovis paroxyſmo parte aliqua excreta, tandem cum materiæ illius quantitate imminuta, ſymptomata quoque remittant, motus in ſyſtemate vaſculoſo & nervoſo imminuantur, & niſi totalis intermiſſio, nihilominus tamen remiſſio inde ſequatur, quo ipſo ægri viribus novo paroxyſmi acceſſu parumper reſtauratis, intra certos dies, vel plenarie vel ex parte evacuationes materiæ illius febrilis evenire queant.

LANGRISHS *Modern. Theory and Practice of Phyſik T. IV. Act. Edenburg.* tradit, craſſamentum ſanguinis in intermittentibus non tam tenax & viſcidum, nec ſerum adeo bilioſum, ſalſum, & acre exiſtere, ac in acutis continuis febribus, & rubicundos globulos copioſiores ac cruorem tenaciorem & ſpiſſiorem

in quotidianis, quam in tertianis, & in tertianis magis quam in quartanis eſſe.

Nemo interim tuto ſedem cauſarum in ſe, & unde illæ oriantur, determinare poterit. Ii, qui majorem materiæ febrilis acredinem in quotidianis & tertianis febribus ea ratione ſupponunt, quod citius reproducantur paroxyſmi, cum tardius quartanæ paroxyſmi, ob viſciditatem majorem, redeant, hoc ipſum ideo non tanta cum fiducia ſtatuere poſſunt, quoniam talis acredo in benignis tertianis, in ſubjectis cæteroquin ſanis, non ſemper exiſtit, interdum quoque illa abeſt viſciditas, uti epidemiæ teſtantur febres, quæ homines omnium ætatum & temperamentorum corripiunt. Non ſemper autem tempore vernali & æſtivo quotidianæ & tertianæ invadere ſolent homines: Quamquam verno & æſtivo tempore curatio facilius procedere queat, id tamen eodem annotandum eſt tempore, apta medicamenta, & circumſpectam medendi methodum maximum afferre momentum.

PECHLINUS *L. 2. obſerv. 20.* Quod ſi moram, inquit, trahant tertianæ, qui autumnalium ſæpe mos eſt, hoc ſæpe cum iis conjunctum eſt periculi, ut tædio morbi lentioris, ægroti in diæta delinquant, vivendique ordine morbi ακακιαν infament: Itaque in alium plerumque & deteriorem morbum mutatur, qui tandem etiam oppreſſis naturæ viribus, vitæ finem imponit. Quartanas autem hibernas nihilominus facile in morbos acutos tranſire HIPPOCRATES *Coac.* Et JOH. WIER. *obſerv. rar. L. 1. Amſtelod. 12.* Quartanam interdum ſenes necare, obſervarunt. Atque CAMPANELLA *medicinal. L. 11. c. 7. act. 4.* Quartana, ait, intermittens habetur pro tutiſſima febrium, quamvis longiſſima, contingit tamen plerumque ob tot febriles circuitus, habitus hecticus.

Infantes poſt febres autumnales tum continuas, tum intermittentes, hectici aliquando fiunt. Ventres eorum inflati tumentes, ac duri evadunt; Sæpe etiam tuſſis, aliaque tabidorum ſymptomata ſubnaſcuntur, quæ rachitidem plane mentiuntur. SY-

DEN-

DENHAM *de febribus intermittentibus.* PETR. FORESTI *L. 3. de intermittentibus hecticis.* Cum lien ſcirrhum ob hanc febrem incurrat aut cancroſam diſpoſitionem, lethalis eſt, & ſæpe affert Hydropem: GALENUS *in 1. Epid. ſect. 1.* Longam quartanam lienoſis valde incommodam, pluresque ipſorum exinde factos Hydropicos, & mortuos ſe vidiſſe.

Statarum jam periodorum cauſæ in febribus æque ac aliis morbis vix tuto determinari poterunt, quanquam forſan inter alia conſuetudini vel fluidi nervei determinato ac ſpecifico motui ſæpius recurrenti, adſcribi queat, itaque quamdiu cauſæ non rite determinari poterunt, tamdiu notiſſimus ille diſſenſus circa remedia adhuc permanebit. Febres omnis ætatis, ſexus, & habitus corporis homines corripere, quotidiana docet experientia: Febres autem intermittentes ordinario funeſtæ non niſi iis fiunt in caſibus, in quibus per longum temporis ſpatium varii motus maſſam ſanguinis, redeuntibus inſultibus, alterarunt, ſic ut vapido humorum accedente ſtatu, tumores producantur, vel ob depravatam quoque diætam, vel perverſam medendi methodum.

Sudores, Cacochymiæ species, Icterus, Tabes, Phthisis, Hectica, & Hydrops, etiam Scabies facilius quartanam, quam tertianam & quotidianam, inprimis ob diuturnitatem mali insequuntur, hæc vero quoque à quartana & quotidiana eo producuntur in casu, quo perversa instituta fuit curatio, inprimis si teneriora sint subjecta. *Ill.* LANCISIUS, *de noxiis paludum effluviis:* Febres tertianas perniciosas recenset, semper in principio typum intermittentium servantes, quinta plerumque die in continuam versas, septima, nona vel raro undecima, cum gravi sopore, sudore algido, urinis tenuibus, parotidibus, in mortem terminatas, priusquam oportuna inventa fuisset medendi ratio.

Denique remedium heroicum ex spiritu vini, urina & pulvere pyrio constans in ipso febris tertianæ frigore assumtum, febrim inflammatoriam lethalem produxisse SCHUZER *in Act. Acad. Scient. Suec. T. IX.* tradit. Febrem intermittentem veram subito in affectum soporosum & ipsam apoplexiam mortiferam termi-

terminatam fuiſſe, obſervationes produnt. Huc pariter ſpectat ſopor profundus, quem Sylvius inter ſymptomata febris epidemiæ intermittentis Lugdunenſis *Prax. Med. Append.* 10. impenſe periculoſæ, enumerat. In ſenibus facile hæc fieri poſſunt à cacochymia bilioſa, ſeroſa, nec non à partibus corruptioni putredinoſæ obnoxiis; Accedere poſſunt ſolidarum partium debilitas, conſuetarum excretionum ſanguinearum defectus, vitæ genus inordinatum, perverſa ulcerum & ſcabiei ſanatio, & ſimilia.

Exempla ſolutæ quartanæ triennalis per excretionem calculorum in viro; Porro per morbos convulſivos: Per variolas erumpentes: Per matrimonium: Denique per aëris mutationem, HIPPOCRATES, *Eph. N. C.* FRID. HOFMANNUS, aliique tradiderunt Medici. Hæmorrhoidum quidem fluxus & diarrhœa ſæpe quartanæ curationem juvant, ſed ſi absque levamine accedant, vel fluxus hepatici indolem ſervent, frequenter ad febres lentas diſponunt: Nonnunquam ſcabies vel purpura

ſcor-

ſcorbutica ſolvunt quartanam, uti infra exemplo docebimus.

Febres intermittentes quosdam ſub cura aquarum mineralium corripuiſſe obſervavimus; Interdum igitur diætæ, vel digeſtionis vitia, frequentius vero prava conſtitutio aëris frigidi & humidi, inſectorum copia referti, individualis porro ſubjectorum diſpoſitio, aliaque hic in cauſa eſſe queunt: Adeoque aquæ minerales non ſtatim inculpandæ ſunt. Pathemata pariter animi, variæ anni tempeſtates, nec non aëris mutationes repentinæ ex frigido in humidum & viceverſa, & ex præcedente inſolita diuturna calida & ſicca aëris intemperie, unde epidemica oritur graſſatio, in ſyſtemate vaſculoſo & nervoſo æque ac in ſanguinis humorumque maſſa anomalos motus & intemperiem, pro diverſitate cauſæ materialis differentem producere ſolent, quippe frequentiſſime febris intermittens poſt imminutam cuticularem excretionem accedit, & nulla facile recidiva, quam hoc facto repetit. Scilicet eadem materia ad hepar, ad pancreas, præterea ventriculi & inteſtinorum glandulas defertur.

Imo

Imo è rebus præternaturalibus, morbi prægreſſi, quique ex corruptione ſanguinis itemque lymphæ ortum duxerunt, hiſce favent febribus, chronici autem ſi ejusmodi evadant morbi, rebelles nimirum febres, à blanda ſua temperie deflectere faciunt maſſam ſanguinis & humorum, inde & in externis talis ſtatus præternaturalis conſpicitur, coloris ſcil. naturalis immutatio in lividum; Oedemata pariter in extrematibus inferioribus anguem in herba latentem innuunt.

Quemadmodum & ex altera parte mala ex tali ſtatu præternaturali eruuntur ſigna, quando nec lateritium illud in tertianis apparet ſedimentum, ſed ſemper ſpiritus nitri ad inſtar tincta urina toto morbi apparet decurſu. Quamquam hic ipſe color præter ſedimentum non ſemper malum importet, cum & per alias vias ſeſe exoneret, & cauſa febrium diverſa plane exiſtere ſoleat. In cura jam attendendum, an maligni quid adſit, quod deprehenditur, cum æger apyrexias die extra lectum eſſe nequit, cum pejora & ferociora ordinariis, ſymptomata, ac

 vires

vires non dejectæ ſunt : Tali in caſu aliarum ad inſtar malignarum tractantur, & de quibus HIPPOCRATIS prognoſticon, dum febres intermittentes periculo vacare pronunciat, non eſt intelligendum.

Therapiam quod concernit, conſtat eam ab iis, qui ex ſanguinis textura morbificam febrium cauſam ulterius eliminare, copiam illius imminuere, & caracterem immutare volunt, per deobſtruentia, calorem compeſcentia, & purgantia ceu optima adornari remedia: Interim quod purgantia concernit, ea magna cum circumſpectione uſurpanda ſunt, quidam impune eadem ferunt, inprimis in principio, plures vero non item, quippe materia illa febrilis non omni tempore tam facile per craſſam talem excretionem exturbari poteſt, potius cum ſubtiliores frequenter ſint partes jam in ſanguine contentæ, per convenientes vias excerni debent, hinc ex tali remedio facile febrium oriuntur recidivæ. In quotidianis tamen fortiorum catarcticorum uſum præſcribit TAUVRY *Nouvelle practique des maladies aigues*, de quo luculenta proſtant exempla *T. II. p. 416. & 426.* Interim præſtat mitiora purgantia ſeligere, & raro vomitorium exhibe-

re,

re: Blanda pariter ſaponacea, amaricantia, imo confortantia, dum motus febriles excitant & criſin ad juvant, non raro conducunt.

Per diverſas vero obſervationes in ægris, intermittentibus præcipue tertianis & quartanis laborantibus, inſtitutas, edocti ſumus, modicam Rhabarbari portionem cortici peruviano remixtam, aliquoties per diem alvum laxando, utilem fuiſſe. Hæc quoque methodus fuit *Cl.* D. MEAD. qui *in Monit. Medico-Practic. Cap. de intermittentibus febribus.* Longa, inquit, me docuit experientia, neceſſe plane eſſe, exiguam portionem rhabarbari cortici peruviano admiſcere: Ea ſcil. ratione, ut alvus bis ſaltem quotidie dejiciat, neque unquam virtutem illius hoc modo fractam, ſed feliciter potius auctam fuiſſe, animadverti. Licet enim ea, quæ valentius irritant ſanguinem, & humores perturbando, irrita reddunt omnia, moderata tamen purgatione id conſequitur, ut ingeſta quæcunque ſive medicamenta ſive cibos, facilius concoquat ventriculus; Et ex his quod tenue & corpori eſt utile, in venas emittat. Cum jam drachma una vel altera

 rha-

rhabarbari aſſumta fuerit, ab exinanitione deſiſtere ſoleo, & celebris hujus antidoti uſui per ſe inſiſtere: Obſervavi etiam, quod, depulſo hac medendi ratione morbo, iterati in eundem lapſus minor ſemper ſit metus.

Hae quoque methodo uſus eſt Helvetius, qui eandem Medicis commendat, *Traité des maladies plus frequentes. Cl.* BURGGRAVIUS *Comment. de aëre aquis & locis Francofurtenſibus*, Salia neutra, eminenter Sal polycreſtum ex nitro & ſulphure paratum, antimonio Diaphoretico, & Rhabarbaro adjuta vel pro re nata Jpecacuanha directa, languores febriles aut febres jam formatas certo excutere poſſe deprædicat, febres ſcil. intermittentes à cruditatibus. Salia neutra, v. gr. arcanum duplicatum, tartarus vitriolatus, tartarus tartariſatus, Sal polycreſtum, Sal Ebſonienſe &c. omnino aperta ſervant omnis generis emunctoria, obſtructiones reſerant, tenacem viſcidam humorum maſſam colliquant; In febribus vero tertianis continuis majori in doſi exhibita in magnam perniciem ægros, ob metum inflammationis ventriculi, adduxiſſe, monet FRID. HOFF-

MANN

MANN *Diss. de recto usu corticis in febribus. Cl.* Medici *in Actis Berolinensibus Vol. II.* pro inutili declarant correctionem corticis per additionem salium digestivorum, incidentium, & purgantium, imo & chinam per menstrua alcalica, Nitri fixi, ⊖♀ri, cinerum clavellatorum, vel si cum Spiritu Vini in Essentiam vel Extractum redigatur.

Alii quoque Jalappam, vel pulverem Cornachini, vel pil. aperientes, Sal. Sedlic. aquas minerales purgantes, exhibent, distinguenda autem sunt subjecta, tempora, febris genius, & aliæ circumstantiæ individuales, antequam talia exhibeantur. MAYERNIUS *in Praxi sua* aurum fulminans ad grana 3. vel 4. cum theriaca, mithridatio aut diascordio commistum, in febribus intermittentibus paulo ante paroxysmum, in continuis instante crisi exhibere jubet. In tractatu, cui titulus: *La maniere de se servir du Kin Kina p. 5.* legimus, quod incolæ Regni Peruviani durante usu corticis nunquam purgans assumant, statuentes causam febris sensim sensimque consumi, usum tamen febri jam profligata aliquandiu continuandum esse. Monet pariter *Cl.* MART. WARREN *Act. Eruditor. A. 1729.*

 quod

quod data febris remiſſione, imo etiam urgente febre, ubi diutius inhæſerit, nec integra aliqua intervenerit criſis, potio catharctica alternis diebus ad duas vel tres vices cum hauſtu paregorico repetenda, præbeatur; Hac ſcil. ſola methodo res ægri magis magisque in tuto collocabitur, aut ſaltem Medico anſa concedetur, ut opportunius & certius corticis uſus morbum feriat, & confodiat. Imo ipſi cortici Rhabarbarum admiſcet auctor, crebra experientia edoctus, eo certius & efficacius hac ratione expugnatum iri febrim.

Si coctio non debite expectetur & nec vergentis naturæ indicationes, nec orgasmi rite judicentur, tunc purgans ſoporem, in plurimis aut duplicatam febrim aut continuam, aut lentam, aut prava ſymptomata producere præter alios Pechlinus obſervavit: Imo iis, qui nauſeam habuerunt, laſſitudinem, cephalalgiam, aut dorſi dolores induxiſſe, plures vero febre epidemia minus ſecura correptos fuiſſe. Præſentia jam bilioſorum viſcidorum humorum, ſtagnatio in primis viis, errores diætæ prægreſſi,

ex. gr.

ex. gr. ex nimia fructuum horræorum ingluvie, os amaricans, nausea, sputum copiosum circa vel post paroxysmi tempus, nec tamen insequens vomitus, & præcordiorum dolor, indicare quidem videntur emetica, neque tamen adeo facilis in præscriptione horum Medicus esse debet, exhiberi vero lene potest emeticum, interim annotandum est, quod summus calor & frigus excessivum huic non ita faveant evacuationi.

Addunt quidam, quod, cum in intermittentibus Epidemicis alios vomitus sublevaverit, eo ipso exhibendum sit vomitorium: Sed propter subjectorum diversitatem universale hoc non est, inter secundum vero tertiumve paroxysmum exhibendum esse vomitorium suadent, alii serius, cum aliquandiu duraverit febris; Hic autem symptomata & signorum diversorum præsentia vel absentia determinabunt tempus & dosin. HIPPOCR. *L. de Morbis C. 14.* Quum febris, ait, quartana detinet, siquidem ex alio morbo non purgatum ceperit, medicamentum deorsum purgans propinato, dein caput repurgato, postea medicamentum deorsum (iterum) dato. In robustis & bene

bene valentibus vomitorio opus eſt. Quum febris tertiana detinuerit, ſiquidem impurgatus eſſe tibi videatur, quarto die medicamentum purgans exhibeto, at ſi medicamento opus eſſe tibi non videatur, in potu, ea medicamenta danda ſunt, quibus febris aut transferatur, aut deſinat. Hippocrates quoque octavo die in febri tertiana, id eſt fortiſſimo morbi die purgationem præſcripſit. Methodus Timæana febrim quartanam per purgantia 5. vel 6. horis ante paroxyſmum propinanda, curandi, in *Act. Phyſ. Med. N. C. D. 2.* confirmatur,

Nos non niſi urgentibus ex cauſis, atque eo potiſſimum in caſu, ubi nauſea & vomitus ſpontaneus à ructibus nidoroſis, acidis, amaror oris, tenſio & pondus ad ſcrobiculum cordis, adfuerunt, ſique nullum fuerit contra indicans, vomitorium præſcripſimus, in junioribus ℈ß vel grana xv. rad. hypecacoanhæ, & nitri gr. v. pro doſi, in adultis ſcrupulum rad. hypecacoanhæ vel gr. xxv. cum gr. vij. vel viij. nitri, & quidem, vel die apyrexias, vel 4. aut 5. horas ante paroxyſmum, in quibusdam vero ægris quartana laborantibus ſub initium paroxyſmi & quidem

dam feliciori cum ſucceſſu ac antedicto tempore: Etenim HIPPOCR. *ſect. 1. aph. 22.* cocta, ait, non cruda movenda & medicanda eſſe; BELLINUS pariter cum hoc conſentit, ſtatuens, per vehementem ſuccuſſionem omnium partium in vomitu, materiam morbificam melius ſeparari, & impetum ad minimum abbreviari. ALEX. THOMSON *Act. Edenburg. Tom. 10.* hæc methodus, inquit, vomitoria exhibendi ſatis naturalis & rationalis eſſe videtur, per 20. annos bono cum ſucceſſu in principio intermittentium vomitoria exhibui, reipſa enim apparet, quod nulla incitatio per vomitorium ſatis efficax ſit morbum eradicandi, quamdiu adhuc materia morbi extra febrim cum reliquis ſuccis intime commixta eſt, ſæpius inveni unicum vomitorium hoc modo exhibitum integrum morbum ſuſtuliſſe, aut alia adhuc doſi ita ſopitum fuiſſe, ut vix ſenſibilis fuerit.

Febres meſentericas non teſtaceorum, antacidorum, diluentium, oleoſorum uſu vulgari, ſed fomentis, balneationibus demum educta cacochylia omni ſero lactis cichoreato vel deſtillato aliquo ex ſuccis

aperientibus, curari magis debere docuit *Cl.* BAGLIVUS *Prax. Med.* Legi merentur, ea quæ de catharſeos uſu & abuſu in febribus monuit *Cl.* COHAUSEN *in Archæo febrium fabro. C. V.* Inter remedia interna uſualia ſunt lenia ſudorifera, acidulata, ſtomachica, viſceralia, martialia, abſorbentia, nitroſa, ſalia fixa alcalia; conf. *Dilucidationes noſtræ Principiorum Chemicorum.*

Laudant quoque alii cinabarina, & viperina. Quod priora concernit, magis in primis viis aliquam exſerere poterunt activitatem, interim ſtrenuum in infantibus uſum noxium eſſe, obſervationibus demonſtravit KOZAMERO *in Diſſert. de variolis;* Viperina quod attinet, ea hiſce in caſibus hactenus nunquam uſurpavimus, virtutem vero illorum tradit *Cel.* B. EL. CAMEARIUS *Epiſtol. Taur.* Laudat quoque *Cl.* MARTINUS WARREN *Act. Erudit. A. 1727.* ſequens vinum viperinum: Rec. Viperas foëmellas, N. x. limat. Mart. unc. 2. ſucc. 2. pom. aurant. Nuc. Moſch. Cinam. ana drachm. I Semis. Vini. Hiſpanici. Lib. x. Digere in balneo arenæ per 12. dies, & fil-

tratū

trati liquoris unciæ duæ bis terve in die capiantur. Interdum in febricitantibus ſudores vel aliæ depurationes ſalutares non debilitantes obſervantur. Hiſce in caſibus ad diaphoreſin reſpiciendum, adeoque juxta monitum *Cl.* HUXHAM *traité des maladies les plus frequentes*, rad. ſerpentariæ virginianæ, cum cortice peruviano conjungenda. Certis quibusdam febribus icterus accedit, interdum vero intumeſcentia totius corporis, admiſceri igitur poteſt cortici crocus martis aperitivus. De uſu autem corticis à febre ad icterum egit *Cel.* B. ALEX. CAMERARIUS *in peculiari Diſſertatione.*

Cortex peruvianus encomiis ab his exornatur, vituperatur ab aliis, idque hanc potiſſimum ob rationem, quod circa cauſas febrium, & conſequenter circa modum eas corrigendi adhuc inſigniter Medici inter ſe diſſentiant, unde remedium hoc tot quotidie imputationibus ob ineptam multorum applicationem expoſitum, nihilominus laudabili effectu, & genuino applicandi methodo ſe commendat, licet agendi modus plenarie indicari nequeat, num ſanguinis laudabilem conſtitutionem,

ne

ne materiam febrilem dimittat, confortet, & conſervet, tubulos ac poros ſubcutaneos relaxatos juſta conſtrictione in priſtinum reducat ſtatum. Religioſam quandam ab uſu corticis à febre quidem liberatam fuiſſe, ſed in tantam diabetis vim incidiſſe, ut quovis die 40. libras excreverit, JOH. B. SCARAMMUZZI *in Theorem. familiar.* tradit. HARVEUS *Diſſert. de varietat. Medic.* ſtatuit Chinam de China exhibitam vires potiſſimas cominus exſerere, ſcil. in ventriculum, inteſtina tenuia, pancreas, & proxime adjacentes meſenterii glandulas.

Corticem Peruvianum vegetum, recentem, non admodum craſſum à ramulis deraſum, facile terendum, ſaporeque aromatico, amaro, & colore cinnamomi præditum, eligendum eſſe, Medici non ſine ratione cenſent. Principium corticis adſtrictivum pateſcit ex ſapore linguam conſtringente; ſolutio quoque corticis, adjecto vitriolo, more omnium adſtringentium, nigreſcit, & atramenti colorem induit; Principium amarum naturæ eſt aperientis, balſamicum vero odore & ſapore non tam pulveris, quam potius ex pro-

prolecta, destillationis ope, aqua, nec non spiritus vini, manifestatur. Denique terrestre principium fixum peracta solutione & extractione conspicuum, ad corrigendam, obtundendam, & involvendam materiæ febrilis præsertim biliosæ acrimoniam. Agit igitur simplex hoc tota substantia, & plura continet principia ad febres sanandas proficua. Quare vehementer errant ii, qui à sola facultate adstringente febri fugum corticis effectum derivare satagunt; FRID. HOFFMANN. *Differt. de cort. gen. usu.*

In febribus intermittentibus, antequam primæ expurgatæ sint viæ, & viscera deobstructa, à cortice peruviano abstinendum esse, nec non à præcipitantibus & adstringentibus, varii præcipiunt Medici: Interim cum fere nunquam plenarie remotæ sint obstructiones, hinc remedium laudabile in se hos, vix exhiberi posset, dantur vero casus, ubi laxantia potissimum in principio bona sunt, uti supra indicavimus, nec omnes obstructiones respuunt hunc corticem & præcipitantia: Interim corticem eo tempore nihilominus optimos edere effectus statuimus, quo ne-

gotium se- & excretionum viget cum alvi libertate. In tertianis intermittentibus apyrexias tempore drachmas duas, vel duas cum dimidia, vel tres, non semel cum fructu præscriptas fuisse observavimus; Quodsi vero major alvi adsit laxitas, cum vel vomitus instet, sedanda prius, quippe ingressum in vasa lactea impediunt. Eo autem tempore, quo post 2. vel 3. paroxysmos sua sponte febris cessat, cortice vix opus est, visceralia, balsamica, stomachica tunc omnem absolvere possunt paginam. Adjungi tamen poterit pro circumstantiarum ratione parca corticis dosis, ad reliquias febris debellandas. In febribus duplicatis proprie cortice opus non est, eo saltem tempore, quo ex duplici conversio fit in simplicem. Contra vero *Ill.* Dn. van SWIETEN *Coment. Aph. Bœrh. T. II.* & *Cl.* D. BERGIUS *Act. Suec. 1755.* Febres, quas particulares vocant, solo curatas fuisse cortice, tradunt.

In quartana absorbentes & præcipitantes pulveres ideo caute usurpari debent, quod acidum primarum viarum cum terreis concrescens, paulo adstrictioris fiat indolis, & sic obstructiones producat;

HOF-

HOFFMANN *in cit. Dissert.* Sæpe numero ſuccedit, exhibita China chinæ febrem non tolli, licet pluries repetatur. Id autem evenire noſtris temporibus magis quam elapſis non alia de cauſa pendet, quam quia hic cortex non colligitur ab arbore, uti ante fiebat. Colligi enim debet tantum modo ſole exiſtente in leone & ab arboribus, quæ meridiem verſus poſitæ ſunt, uti mihi ſancte narravit Romæ quidam Pater Dominicanus Americanus, qui recens America venerat Romam. Quodſi indiſcriminatim colligatur, quolibet menſe, & à quibuscunque arboribus, vim febrifugam nunquam habebit, ut idem pro infallibili mihi retulit apud Indos Americanos experientia: BAGLIVI *Prax. Med.* Addunt alii talem corticem ſubtiliſſime pulveriſatum, colorem fuſcum referentem, & omni humiditate carentem, demum eſſe optimum.

Quodſi jam ſuppoſita relationis hujus veritate talis cortex ſemper haberi poſſet, magis hic intermittentes curari poſſent, quam actu fit. WILLISIUS corticem Peruvianum in temperie calidiori in aqua de-

destillata aut sero lactis propinare suadet. In quartanis quoad maximam partem in glandulis abdominis & visceribus vitium latere observatur; Deobstruentia jam & tonica stomachica, imo cæteris paribus emetica leniora, nonnunquam purgantia, Methodo supra indicata, conveniunt, hinc & ex hoc fundamento autumnales febres rebelles sunt ob viscíditatem massæ sanguinis & humorum, inprimis vero ob decrescentem perspirationem insensibilem, cortex igitur peruvianus larga dosi exhibitus sine effectu quoad maximam partem ægris tali tempore præscribitur, vera autem deprehendimus ea, quæ inter alios *Cel.* FRID. HOFFMANNUS annotavit, parcam nimirum corticis peruviani dosin in his conducere.

Non raro jam per flor. sal. amoniac. & Chamomill. Sal. Absinth. croc. mart. aperitiv. & per parcam dosin corticis peruviani, vel chaquer. tempore apyrexias ℥j. vel ℥jß. additis roob sambuc. syrup. acetos. cit. & contrajerv. in forma electuarii, & pro re nata per extractum chaquerill. centaur. minor. card. benedic. gum. ammon. galban. in pilulis, nec non per pilulas

de

de ammoniaco officinales attemperata dosi pro ægri individualibus circumstantiis, omisso interdum per aliquot dies vel septimanas in rebellibus quartanis cortice, substituto contra infuso saturato ex HB. cent☉. min. card. bened. absynth. & pro re nata rad. scorzon. cichor. chin. magis felicem obtinuimus effectum; Quamquam quosdam ægros, quartana ab æquinoctio autumnali usque ad vernale cum vel sine interruptione, irritis etiam ante dictis remediis, affectos fuisse observaverimus: Hisce postmodum balneum sæpius reiterandum suasimus, sicque erumpentibus exanthematibus rubris purpuraceis hasce debellavimus febres.

Quosdam Medicos per nimium & intempestivum corticis usum inprimis in quartanis autumnali & hiemali tempore grassantibus inflationes ventriculi, dolorificas tensiones, tumores pedum, imminutionem appetitus, & oppressiones pectoris sub quovis paroxysmo graviores produxisse, non sine tædio observavimus. Insolitum quoque tremorem totius corporis in diversis subjectis post ineptam febris debellationem WILLINSON *in Act. Edenburg.*

 Tom. 10.

Tom. 10. refert. *Cel.* BOERHAVE à ſuppreſſione intempeſtiva febrium autumnalium & intermittentium & impedita coctione materiæ febrilis per incongruum corticis uſum, obſtructiones inſuperabiles hepatis obſervavit, ſi febris rite tractata fuiſſet, removere potuiſſet optime.

De uſu pariter corticis in autumnalibus intermittentibus Act. Vratislav. A. 1717. Menſ. Nov. Hoc autumno, tradunt, cortex frequenter interdum in pulvere vel Electuario vel in potiunculis &c. uſurpatus fuit, ſed quonam cum effectu? Certe ſatis infelici, deprehendimus enim, quod tales febricitantes plus quam una vice, licet inordinate, affecti fuerint, partim quod illæ febres in obſcure vel aperte lentescentes tranſierint: In aliis porro diuturni torpores, dejectio animi, & virium, pallores, phlogoſes &c. in aliis continuæ inappetentiæ, nauſeæ, preſſiones præcordiales, alvi perturbationes, in aliis preſſiones, imo durities in dextro latere, ut plurimum tumores pedum, & totius interdum corporis, ataxias menſium, hydropis ſpecies prodierint. Conferri quoque debent monita

SY-

SYDENHAMI *cap. de febribus intermittentibus*, & *Cel.* BUCHNERI *Commentatio in Act. Acad. Nat. curios. de infensissimo dolore Ischiadico, febrem quartanam immodico corticis usu suppressam, excipiente.*

LISTERUS, BOHNIUS, DEKERUS, BERGERUS, d'ACQUIN, MORTONUS, BURGGRAVIUS, TRILLERUS, ALBERTINUS, præter alios auctores corticem peruvianum valde laudant. JOH. COLBATCH *In Physico. Medical Essay, concerning - alkali andacid. &c.* Duabus, ait, detur ante paroxysmum horis ægro Emeticum, ejusque operatione finita, opiatum, paroxysmo autem cessante, quantitas nucis moschatæ de Electuario, quod ex cortice febrifugo & syrupo limoniorum paratum, cum parte sextarii (pint) decocti corticis Chinæ, rad. gentian. & HB. cent☉: min. eademque remedia quaternis semper horis repetantur spatio 5. vel 6. dierum; ita tamen ut æger elapsa hora post singulas doses, assumat parum cibi digestionis facilis, 6. diebus elapsis mane tantum & post meridiem hora quinta idem assumat electuarium, & decoctum eodem modo per hebdomadem inte-

gram, hac methodo, ſi aſſumantur corticis ℥iij. vel ℥iv. quartana ſine recidiva curatur, fruſtra vel libra 1. adhibita juxta morem vulgarem. Denique febres per topica curari poſſe & corticem peruvianum ab extra admotum eundem præſtare effectum ſtatuit KENNEDY *in Tentamine circa remedia externa.* Plura vero experimenta ad confirmanda hæc requiri, cenſemus.

Nec ſemper & omni tempore cortex hic unicum hoc noſtrum præſidium ad perſpirationem, ad roborandum, & ad ſanguinis circulum augendum, ſed utique opus eſt, ut corpus ſit diſpoſitum, viæ & excretoriorum tubuli patuli & ſpasmo non conſtricti, humores tenues & fluxiles, non craſſi, viſcidi & immobiles, ipſius quoque remedii virtus integra, nec à vitioſis primarum viarum ſuccis obtuſa aut enervata. FRID. HOFFMANN. *Diſſert. de genuin. cort. uſu.* Jam cum optima remedia relationem habeant, hinc relative ſolum cortex hic bonus dici poteſt. Num autem Sal Eſſentiale quod ex cortice peruviano *Cel.* GAURAYE feliciter evocavit, & cujus præparatio-

nem

nem in Chemia sua Hydraulica communicavit, adhuc feliciores exserere queat effectus ipso pulvere, experientia optima semper rerum magistra aliquando edocere poterit.

Sæpe numero in intermittentibus febribus, inprimis in certa quadam grassatione tertianæ intermittentis æstivo tempore quam plurimos ægros sine ullo cortice, aliis vero convenientibus remediis curavimus. Febrim pariter tertianam intermittentem ab autumno A. 1743. usque ad æstatem 1744. in exercitū Gallicō prope Rhenum grassantem, quoad maximam partem sine cortice peruviano curatam fuisse de ARELL tradit, *Act. Acad. Suec. T. 9. Cl.* pariter NENTERUS *Pathol. Med. S. 2.* affirmat, plusquam 200. febricitantes sine omni cortice pristinæ sanitati restitutos fuisse. Novum jam post corticem peruvianum remedium in Gallia olim inventum maxima parte ex ⊖ alcali constans, annunciatum fuit in tractatu cui titulus: La querison assurée des fievres tierces, doubles, quartes, en quatre, par le Remede Provençal en Tablettes, que le sieur B. Alary maitre

Apoticaire de la Ville de Grasse en Provence fait & distribuë par Privilege du Roi a Paris A. 1685. in 12. Hoc quippe remedium hanc prærogativam præ cortice habuit, quod partim per alvum, partim per vomitum, vel per utrumque, partim per urinam, sputum, & transpirationem evacuationes produxerit. Incipiente jam paroxysmo in tertiana bis saltem, in quartana vero quater & vel quinquies Scrupulus bono cum successu propinatus fuit; Neque tamen hi felices successus usum corticis imminuere potuerunt.

Pilulas ex tela aranearum cum theriaca compositas brevi tempore ante quartanæ paroxysmum aliquoties repetitas post irritum corticis usum, salutarem præstitisse effectum, ex observationibus quorundam Medicorum certiores facti sumus. Solum vero arsenicum vel opium ad rebelles ejusmodi febres debellandas pessime præscribi, statuimus. RIDLINUS *in curis Medicis obs. 69.* monet, quod non omnis quartana longa & curatu difficilis sit, id quod confirmatur, dum mercator aliquis 50. annorum à potiunculæ sudoriferæ & pulverum febrifugorum sale armoniaco aucto-

auctorum usu loco tertii paroxysmi totus sudore perfusus, perfecte convaluerit; HARRIS *in Dissert. Med.* In curandis, ait, intermittentibus singulis aut alternis corticis peruviani dosibus 3. vel 4. guttas olei sulphuris per campanam, aut aliquot drachmas succi limoniorum cum tantillo laudani liquidi immisceri debere pro viris, pro tenerioribus vero & præsertim fœminis infusionem frigidam corticis sufficere.

MUYIS *in Dissert. de usu præclaro* ⊖X. *in febribus intermittentibus*, ait, inter 28. ægros febribus tertianis & quotidianis detentos, vix 4. fuisse, qui medicamento hoc usi, sanitati non fuerint redditi, quem sinistrum curæ eventum gravioribus ab ægro commissis erroribus in victu, vel dosibus iterandis, sed neglectis adscribit, & tantum abest, ut ullam aliquam noxam ex ejus usu ortam viderit, ut potius absque ullo alterius remedii subsidio appetitum excitatum, cibos bene digestos, faciei colorem, & vires ex in restitutas deprehenderit, additque in his febribus ⊖X. cortici præstare, quod ab ejus usu recidivæ omnino rarissimæ fiant, quodque febres hæ interdum unica

unica & paſſim binis ſalis doſibus curentur, in quartanis vero non ſat efficax deprehendatur, ſub qua doſi autor dederit, ſequens tabula docet:

Salis Ammoniaci doſis.

In ætate adulta.	Minima.	Maxima.
	ʒ j.	ʒj. ℈ij. vel ʒij.
XV. Añ. vel XVI.	ʒj.	ʒjß.
XI. Añ. vel XII.	ʒj.	ʒj. ℈j.
VIII. Añ.	ʒj.	ʒj. ℈ß.
III. Añ.	℈ij.	℈ijß.
I. Añ. vel paulo grandiori.	℈ß.	gr. XIV.

Cl. Viri RENEAUME & HOMBERGIUS Gallas in febribus intermittentibus utiles fuiſſe de prædicant, quas *Cl.* LEMERY & GEOFFROY pro ſuſpectis habent, *Memoires de l'Academie Royale de ſçiences de Paris*, 1709. Alii pulverem Berolinenſem, Sal febrifugum Sylvii, RIVERII ſpecificum antifebrile, alii Radicem Gentian: rubr: Ar: ſquill: pimpinell: alb: hirundinar: Gum̃i: heder: ſagapen: HB. Marrub. alb: fumar: vel ſemen. coriandri. cum vino infuſum aut ſemen hyperici; Alii fuliginem ſplendentem, alii denique ☿. dulcem laudibus extollunt: Plura, quæ pro ſpecificis vendi-

vinditantur, inveniuntur *in Eph. Nat. Cur. Dec. II.* *Cl.* MOERING *in Commerc. Lit. Noric.* obſervationem tradit, de corticis caſtaneæ equinæ, & aurantiorum vi febrifuga. Denique *Cel.* BOERHAVE *L. de Mat. Med. §. 761.* antipyreticon habet, quod in intermittentibus febribus raro fallens vocat.

Feliciores vero exſeruit effectus ſemen paſtinacæ ſativæ latifoliæ, cujus methodum præparandi & doſin, una cum reliquis cautelis *Cl.* GARNIER, Acad. Reg. Lugd. Membrum ſequentem in modum communicavit: Recipe Granorum Paſtinacæ contuſorum drachmas tres, infundantur in vini veteris albi bullientis unciis tribus, poſt diminutionem tertiæ partis fortiter exprimantur ac colentur, quibus parca fecis vini doſis admiſceatur. Hoc autem remedium 4. vel 5. horas ante febris acceſſum propinetur, eodemque tempore æger in lecto bene tectus decumbat, ne ſudorem, interdum accedentem, impediat; Tandem poſt tres horas juſculum carnis aſſumat, abſtinendo interim ab omni ſolido cibo usque ad finem

paroxyſmi. Hæc jam potiuncula calide ſemper aſſumi debet, tum demum vero ſuam amittit virtutem, quum diu aſſervatur, vel poſt refrigerationem iterum calefit, unica doſis ſæpius ſufficit, ut plurimum tamen duæ vel tres doſes, quovis paroxyſmo 4. ante acceſſum horas propinatæ, febrim tollunt. *Cl.* GARNIER ſemen paſtinacæ ſativæ latifoliæ. C. B. pin. 125. uſurpavit; In defectu vero hujus ſemen paſtinacæ ſilveſtris latifoliæ C. B. pin. 135. inſervire poteſt. Aliud Academiæ hujus membrum à radice paſtinacæ eosdem obtinuit effectus. Hoc remedium *Cl.* GARNIER 40. ægris optimo cum ſucceſſu propinavit, inter quos quatuor ſolum venæ ſectione & purgatione, ob circumſtantias quasdam individuales, opus habuerunt. Febris autem quotidiana ante uſum hujus ſeminis prævia generalia poſcit remedia.

Febris ſemitertianæ curam quod attinet, ea caute adornanda eſt, quippe cortex Peruvianus non ſtatim exhiberi debet, ne præſente jam obſtructione in viſcerum canalibus magis adhuc inflammatio augeatur, aut fomes pro febri hectica relinquatur. Laxantia leniſſima per vices cum manna, Sale cathartico

Anglico,

Anglico, & ſimilibus conducunt: Interdum Rhabarbarum, fol. Sennæ, potus ex ſucco limoniorum cum Sale abſynthii & rel: vel aqua cinnamomi minus ſpirituoſa propinari poſſunt.

Soli denique & aëris mutationem ad tollendas febres quid facere, non negamus, hoc tamen penſitandum proponimus, quod talis mutatio plerumque contingat, cum diu jam duravit morbus, & ad declinationem vergit, cum multa jam ſunt prægreſſa medicamenta, an tum ſoli mutationi convaleſcentia adſcribenda erit? novi, ubi juvit, non tam ſoli aërisve mutatio, quam remotio ab iſtis, quæ iræ, mœroris, aliorumque animi pathematum erant objecta. In paroxyſmo ab omni potu abſtinere quidam ſuadent, at nos id ſaltem monemus, ne durante rigore & horrore, & prima vel ſecunda paroxyſmi fervidi hora bibant, facile vero poſtea non ſolum cochleatim mixturas, ſed & largiores potus ordinarii hauſtus concedimus.

Interdum etiam aquæ Selteranæ, vel pro re nata acidulæ Theinacenſes, vel aliæ aquæ minerales

propinari queunt. Acidulas, quæ de vitriolo martis participant, non ſolum pro potu in febribus intermittentibus, ſed & per modum balnei in febribus proficuas eſſe, Franciſcus Vicarius in Hydrophylacio novo monet. Potum pariter coffée ſine lacte moderate uſurpatum conducere STALIUS *in Praxi Medica* ſtatuit, cujus utilitas & noſtra experientia in quibusdam ægris confirmata fuit. Abſtinentia aut cibi nimia parcitas in intermittentibus non adeo conducit, quoad paroxyſmum tamen obſervandum, ne cibus exhibeatur paulo ante, nec mox poſt paroxyſmum, ſed tali tempore, ut concoctio usque ad paroxyſmum fieri poſſit, & ut poſt paroxyſmum exhibeatur, quippe tunc vires à paroxyſmo debilitatæ iterum recollectæ ſunt. Denique cum curationibus, quæ mentem afficiunt, ob incertum eventum caute incedendum eſt, v. gr. ſi per terrorem vel metum Medicus febrim profligare velit, ea inductus ratione, quod diverſæ febres inde fuerint curatæ; vid. Oratio *noſtra de iis, quæ extraordinarie quandoque in curationis negotio contingunt.*

Amuleta, etiam innoxia, quæ paſſim commendantur, ex camphora, araneis, aliisque compoſita vix ef-

fectum

fectum ſine uſu internorum remediorum, præſtabunt. v. WOLFIUS *de Amulet. Scrutin.* Curationes per ſympathiam vel per transplantationem, licet paſſim allegentur, hoc tamen dubium ſemper remanet, an, ſuppoſita quoque veritate harum obſervationum, has curationes & omni tempore temere immitari liceat: conf. COHAUSEN *Diſſert. de ſuperſtitione circa curationes morborum magneticas & ſympatheticas.* Interim HOYERUS *Eph. N. C. cent. II.* febrim tertianam periculoſam ſequentem in modum curatam fuiſſe tradit: Carnem bubulam urina febricitantis elixavit, & cani devorandam dedit, qui febri correptus, in eos paroxyſmos incidit, quibus antea æger affligebatur. Præter alios vero de his prolixius egerunt, ETTMULLERUS *Med. Tom.* 3. *Act. Hafnienſ. Vol.* 2. BORRICHIUS *Miſcell. N. C. D. I. Cel.* STALIUS *in Prax. C. de quartana* GER. GORIS *de cura ſympathetica.*

Quod denique ipſas concernit recidivas, experientia conſtat, eas non infrequentes eſſe, quoad durationem & vehementiam vero plane diverſas exiſtere, in epidemicis vero magis obſervari, quam in ſporadicis.

radicis. Recidivæ crebriores febrium aut tranſitus in alios morbos plus minus chronicos fiunt, ut v. gr. febres lentæ, icterus, chloroſis &c. oriantur, ſi perverſa cura ſit, ſique ex cibi & potus appetitu redeunte, abuſu & exceſſu minera generetur; Hæc jam varia eſſe poteſt, prout cibi acriores, indigeſti, viſcidi, aromatiſati, fermentescentes ſunt, nec non potus ſpirituoſi & acidi junguntur, quando inprimis nimio potu frigido præſertim aquæ cum vino aut julepi ſub curſu morbi vel paroxyſmi tempore nimis refrigeratur ventriculus, imo & tunc quando febres intempeſtive ſiſtuntur. Sive fiat per medicamenta licita ſive illicita, morbus ſequitur, aut periculoſior, aut recidiva non levis.

Multi dicunt per hunc vel illum cibum vel potum cum cupiditate ingeſtum febrim profligatam fuiſſe, quoad hoc notandum, aliquando cibum aut potum fuiſſe ſalubrem potiſſimum in declinatione febris, in principio autem febris hoc factum fuiſſe vix obſervationibus probari poteſt; Vel ſponte vel à me-

à medicamentis victa febris cessare jam dum cœpit, non nunquam tamen ob expletum desiderium spirituum refectionem fieri concedimus. Afflatus quoque aëris liberior, commotiones corporis nimiæ tempore æstivo, habitatio in locis humidis, ira inprimis facillime dejectiones biliosas & tertianam biliosam producere valent. Præservative essentiam visceralem, Alexipharm. Stahl. temperat. fulig. Cl. & chaccarill. refracta dosi, vel tempore vernali vel autumnali succum visceralem HB. recent. fumar. millefol. Endiv. chærefol. Card. bened. trifol. fibr. cum rad. cichor. & scorzoner. similibusque admixtis, vel pro re nata cum sero lactis vel jusculo carnis pro cura ad 2. vel 3. septimanas non sine effectu interdum præscripsimus.

In rebellibus quibusdam quartanis, vel ubi spasmi cum acrimonia, vel ubi deliquia in paroxysmo vel debilitas totius corporis die quoque apyrexias adfuerunt, vesicatoria, junctis aliis remediis convenientibus, laudabilem præstitisse effectum, observavimus, licet in hisce febribus non præcise requirantur. Si

ægrum

ægrum ſopore jam aut apoplexia oppreſſum reperimus, apoplectici inſtar affectus, ſed cum febre juncti, curavimus morbum veſicatoriis pluribus ad carpos, nucham, & ipſi capiti raſo admotis; WERLHOFF *obſerv. ad febres.* Fonticulos alii commendant, quibus materia ichoroſa copioſe ſe-& excernatur, cum efflo-reſcentiæ circa os ceu ſignum bonum non raro exiſtentes, ob analogiam hos ſuadeant; Interim hæc labiorum ulcuſcula non ſemper intermittentem ſolvunt febrim. Poſt 8. vel 10. paroxyſmos tertianæ intermittentis in exercitu Gallico prope Rhenum A. 1743. usque ad æſtatem A. 1744. graſſantis, cœcitatem inſequutam, hancque irritis omnibus aliis remediis, unice ſetaceo in nucha poſito, curatam fuiſſe de ARELL tradit *Act. Acad. Scient. Suec. T. XI.*

V. S^em^. jam in intermittentibus febribus quod concernit, ea non promiſcue admittenda eſt, licet quidam ſæpius illam reiterare jubeant, in plethora tamen admitti poteſt; Non raro in intermittentibus debita ſub cautela eandem ſuaſimus, in quibusdam imminutionem vehementiæ paroxyſmorum, vel

immu-

immutationem typi obſervavimus. RIVINUS *in Diſſ. de febr. intermitt. V. S.* ait, in plethorico, ubi pulſus magnus deprehenditur, vel ſolennis quidam fluxus v. gr. menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſus eſt, ubi paroxyſmo febrili ſanguinem floridum ægri rejiciunt, (uti exemplum nobis notum eſt,) item ſi quis vel V. S. vel ſcarrificationes neglexit, adminiſtranda eſt; Compertum enim eſt, in ejusmodi caſibus ſymptomata pejora plerumque remittere, æſtum præſertim, inquietudinem, atque dolorem circa tempora pulſantem.

In ſemitertiana autem ſemel vel bis adminiſtranda V. S. Diverſitas nationum, regionum, diætæ, habitus quoque corporis cuivis ſingularis, & plethora vera & orgaſmus ſanguineus generalis & magis particularis in inflammatione, aut congeſtione, & magna illa indicatio juvantium & non juvantium ſub ſtatu Epidemio communi vel ſingularium corporum ſimili pro morbi temporibus hoc artis auxilium V. S. ſeu indicant ſeu moderantur. Locum oſtendunt excretionum naturalium ratio & adſuetudo, &

nisus naturæ bonus & malus. *Cel.* WERLHOFF *obſerv. ad febres.* De V. S. in hiſce febribus RAMAZZINUS *in conſtit. Epid. Op.* & BIANCHIUS *Hiſtor. Hep.* SYLVIUS *Prax. Med. Append. tract.* prolixius egerunt.

Enemata quod attinet, RIVINUS *in Diſſ. de febr. intermitt.* Clyſmata, ait, nonnunquam laudem merentur. Si alvus ſit pigrior, ſi dolores inteſtinorum atque dorſi vehementius urgeant, ſi ſubjecta alias malo hypochondriaco vel affectibus lienis ſint obnoxia, ſi abdomen, inflatum, durum, atque ſpasmo tenſum obſervetur, & ubi cacochymia evacuationem urgeat, ægri tamen per os pharmaca aſſumere detrectent. Hac quoque methodo hisce in caſibus non ſine fructu, uſi ſumus. ABRAH. MUNTING in *Curioſ. deſcript. plant.* HELVETII methodum forma Clyſteris injiciendi corticem ſub cenſuram vocat, et modum per os aſſumendi defendit, longeque majoribus incommodis laborare HELVETII modum tradit, quam uſitatam exhibendi rationem, quæ effectu optato non careat, ſi modo corticis illius detur quantitas debita, V. gr.

uncia

uncia ſtomacho vacuo, nullaque præſente diarrhoëa. MICH. VALENTINI contra *in Diſſ. Epiſt. de polychreſt. exot.* omnis generis febribus corticem in Clyſteribus adhibitum ad modum HELVETII laudat, uti pariter Torti *in Therapeia Speciali* obſervationibus probat, quod ante HELVETIUM Clyſteris forma injicere curaverit corticem. In *Eph. N. C. D. 11.* ALBRECHTUS enemata ad mentem HELVETII laudat, licet BEHRENS exceptiones proferat, dicendo, quod idem effectus inſequi deberet, ſi etiam ſimplices Clyſteres vel aqua calida, vel juſculo præparata, tanto numero injicerentur. Sæpe numero in febribus intermittentibus, præprimis in quartanis, repetitis vicibus enemata ex cortice peruviano parata, injicere juſſimus, neque tamen adeo notabiles exinde obſervavimus effectus. In quotidiana tamen intermittente cum torminibus colicis ſtipata enema ex cortice cum fl. chamomillæ felicem præſtitiſſe effectum, edocti fuimus.

Denique ſi v. gr. intermittens tertiana in continuam acutam tranſitum minetur, vel raptus ſanguinis

guinis nimius adſit ad caput, frontale ex aceto roſato cum ſale & pane, nec non ſuppedanea conducunt, quamquam et in rebellibus tertianis non ſine fructu applicentur, componuntur autem ex fermento piſtorum cum HB. Ruth. rec. contuſ. rad. raphan. ruſt. raſ. ſem. ſinap. vel aliis acribus, alii contra halecem diſſectam plantis pedum imponere ſolent.

TANTUM!

